KARL GOTTFRIED WILHELM THEILE

DE TRIUM EVANGELIORUM NECESSITUDINE

BS2569
.8.T37

LIBRARY OF PRINCETON
OCT 29 1962
THEOLOGICAL SEMINARY

BS2569
.8.T37

BS2569
.T37

LIBRARY OF PRINCETON
JAN 10 1949
THEOLOGICAL SEMINARY

DE TRIUM EVANGELIORUM NECESSITUDINE.

DISSERTATIO PRIMA.

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS AUCTORITATE

DIE XXIV. M. SEPTEMBR. A. cIↃIↃCCCXXIII

ILLUSTRIS ICTORUM ORDINIS CONCESSU

IN AUDITORIO IURIDICO

PUBLICE DEFENDENT

AUCTOR

CAROL. GODOFR. GUILIELM. THEILE

CORBETHANUS MERSEBURGENSIS

PHILOS. DOCT. AA. LL. M.

ET SOCIUS

CHRISTIANUS GUILIELMUS NIEDNER

HARTENSTEN. MONTAN. REV. MIN. CAND.

LIPSIAE

IMPRESSIT IO. FRIDR. GLUICK.

VIRIS

DE RE EXEGETICA MERITISSIMIS,

AMPLISSIMIS

EXCELLENTISSIMIS CLARISSIMIS

MAGNIFICO AC ILLUSTRI

CHRISTIANO DANIELI BECKIO

HISTOR. IN UNIV. LIPS. PROF. P. O. etc. etc.

ET

SUMME VENERABILI

GEORG. BENED. WINERO

THEOL. DOCT. ET IN ACAD. ERLANG. PROF. P. O.

PRAECEPTORIBUS SUIS,

STUDIORUM SUASORIBUS, ADIUTORIBUS, FAUTORIBUS

HUNC LIBELLUM

EXIGUUM QUIDEM AT VERAE PIETATIS

INTERPRETEM

ESSE VOLUIT

AUCTOR.

INSTITUTI RATIO.

Locum in omni disciplina theologica paene difficillimum, qui est de trium priorum Matthaei, Marci et Lucae evangeliorum, sive ipsorum invicem accuratior instituatur collatio, sive ad quarti, quod est Ioannis, exigantur ingenium, mira et plane singulari indole, deque eius ipsorumque evangeliorum origine et fontibus, cur in desperatissima fere expediendi spe novis retractandum curis mihi sumserim, paucis in ipso operis limine est dicendum. Movit duplex potissimum causa; quarum altera in tantae tamque mirae in re sane gravissima virorum doctorum dissensionis, quos mihi reperisse visus sum, fontibus, altera in eo inest, quod pluribus, quae recentius diligenter illustrata accuratiusque explicita sunt, rem, de qua quaeritur, expediendam egregie adiuvari existimarem.

Postquam enim utrumque, ex quo iudicium pendet, momentum accurate explorarunt docteque iam dudum exposuerunt viri immorta-

lis memoriae HERDERUS et GRIESBACHIUS [1]), est profecto, quod mireris accedere potuisse tantam sententiarum molem, quae nullam, cuius vel aliqua sit species, reliquam fecerit coniecturam. At vero si vel solam hanc molem accuratius perlustraveris, sole clarius apparet, quaestionem nostram, quemadmodum ipsa viros doctos sat vexavit, multo magis vexatam esse atque impeditam ab iis, qui se profiterentur eam expedituros, adeo ut pro suo qualicunque ingenio novam quisque coniiceret sententiam. In cuius rei causas [2]) si velis inquirere, invenies inde esse repetendam, quod sive ad sententiam ferendam se accingerent variis praepediti e genere dogmatico non minus quam historico opinionibus, sive de quaestionis ipsius vi et rationibus perperam sentirent, sive

---

1) Ea dico, quae *ille* in libro: *Vom Erlöser der Menschen nach unsern drei ersten Evv.* (Rig. 1796. Opp. Tom. XI.) de scriptorum evangeliorum origine e principalibus institutionis evangelicae in ecclesia apostolica non scriptis sed ore fieri solitae rationibus explicanda, *hic* in commentatt. duabus *de Mci Evangelio toto e Mt. et Lucae commentariis decerpto*, (Ien. 1789. 90. 4., repetitis in VELTHUSENII etc. commentatt. theologg. Vol. I, p. 360 sqq.) de evangeliorum ipsorum interna necessitudine eiusque illustrandae praesidiis disseruerunt. Quibus addendae sunt secundae curae AMMONII in Commentat. *de Luca emendatore Matthaei* (Erlang. 1805. 4.) et PAULI in libro: *Theolog. exeget. Conservatorium* (erste Lieferung. Heidelb. 1822.)

2) Quae quot et quales sint, ex iis, quae capite secundo disputabuntur satis patebit; hic sufficiat in universum tetigisse.

fluctuantes nullisque legibus firme adstringentes iudicium in universum probabiliter disserendo acquiescerent [3]), sive denique eam, quam rei naturà postulat, aspernantes simplicitatem, decurrerent tamquam in campo, unde largam reportarent summa doctrinae et subtilitatis copia partam laudis gloriaeque messem. Quibus plerorumque, quae vel temere vel minus recte disputata sunt, fontibus non tantum debere, sed posse etiam occurri existimabam; ita quidem, ut primum quaestionis natura accurate explorata, omnibusque unde iudicium pendere possit causis diligenter circumspectis certas tibi scribas leges, easque in sententia ferenda constanter teneas; deinde ut ad internam evangeliorum necessitudinem explorandam conversus, ea sigillatim uberius persequaris, neque indulgeas, quae sola probabilitatis specie fiunt, disputationibus; ut denique nec partium nec novarum rerum studio transversum te agi patiaris, a rebus, quae probatione

3) Unde factum, ut recentior quisque eum, qui proxime praecesserat, refutasse, novamque iure suo viam tentare sibi videri posset. Exemplo esse possunt argumenta quibus mutuum evangeliorum usum, singulatimque Marci e Matthaeo et Luca derivandam originem, quam vel oculis usurpandam exposuerat GRIESBACHIUS, impugnarunt, quorum summam habes apud GIESELERUM: *hist. krit. Versuch über die schriftlichen Evangelien.* (Lps. 1818.) p. 35 sq., qui et in impugnandis adversariis et in ferenda sententia in eodem crimine est.

egent, ponendis ex concessisque disputando diligenter caveas [4]), iis vero, quibus de nostra re illustranda bene meruerunt viri docti, ingenue religioseque utaris.

Atque ita perventum est ad retractandae quaestionis alteram, quam dixi, causam. Quae vero nostrorum evangeliorum origines apprime illustrantia ex iteratis recentiorum studiis redundare significabam, sunt ea e duplici potissimum genere. Primum huc pertinent praeter Pauli et Gieseleri in libris laudatis accomodate disputata novissimae in evangeliorum litteris consignandorum in veteri ecclesia causas et historiam, nec non in evv. apocryphorum origines reliquasque rationes explorandas erogatae virorum doctorum curae [5]). Deinde momentum fa-

4) Probe etiam cavendum, ne omnia quaecunque explicare, omnia, quae vel ab ecclesiae patribus tradita vel a viris doctis monita sunt, cum sententia tua conciliare inque eius patrocinium convertere, sive potius pervertere velis; etenim, qui nimium probat, nil probat! — Itaque argumentorum vis caute ponderanda inque suas classes singula digerenda, ne dum validis minus valida immisceas, malae causae suspicionem ipse moveas.

5) Sunt, qui post Schützium [Diss. *de evangeliis, quae ante evv. canonica in usu ecclesiae christ. fuisse dicuntur.* Regiom. 1812. I. II. 4.] uberius exposuerunt, hi: Winerus in Commentat., qua *Iustinum Martyrem evangeliis canonicis usum fuisse ostenditur.* (Lps. 1819. 4); Hahnius: *das Ev. Marcions in s. urspriünglichen Gestalt* etc. (Regiom. 1823.) et Olshausenius in libro: *die Echtheit der 4 canon.*

ciunt, quae diligenter sciteque eadem nostra aetate exposita sunt de singulari varioque singulorum scriptorum, ut in universum omnium, ita etiam nostrorum ingenio in doctrinae non minus quam dictionis scriptionisque forma conspicuo, deque, quae inde ducantur, librorum explicandorum iudicandorumque legibus ac praesidiis [6]). Quod utrumque tale videbatur, quo non solum optime regeretur ab erroribusque vindicaretur nostrum quaerendi officium, imo ipsa etiam diremtio egregie adiuvaretur.

Accessit denique summa quaestionis gravitas et in res exegeticas efficientia. Primum enim nisi idonea ratione ex idoneis fontibus composuerunt idonei auctores evangelia no-

---

Evangelien aus der Gesch. der zwei ersten Jahrhunderte erwiesen, (Regiom. 1823.) qui omnes in corrigendis iis, quae viri docti, Eichhornius potissimum, perverterant, prospero successu versati sunt.

6) Gersdorfium dico, qui in libro: *Beiträge zur Sprachcharacteristik der Schriftsteller des N. T., eine Sammlung meist neuer Bemerkungen. Erster Theil* (Lps. 1816.) p. 4 sqq. antiquiores, inter quos eminet Schulzius nunc Duisburgensis olim Luccaviensis, recensuit; et eius censorem (Dav. Schulzium Vratislaviensem) in *annalibus theologicis* 1817. pag. 927—85, cuius huc etiam pertinent hi libri: *Versuch über die Parabel vom Verwalter Luc.* 16. 1 *sqq.* (Vratisl. 1821.) et: *die christliche Lehre vom heil. Abendmahl, nach dem Grundtexte des N. Test.* (Lips. 1824 [25.]). —

stra, historiae, qualem sigillatim 7) persequuntur, fides vacillat, ab indignis certe, quae scriptores nostros, si minus ipsis evangeliis, at omni nativa mentis vi exuunt, compilationibus quovis pignore vindicanda. Deinde vero fluctuet necesse est evangelia iudicandi et interpretandi negotium, nisi, quomodo orta sint, cognitum habeas. Qua in re sufficiat tetigisse, qui in primariis interpretandae scriptionis praesidiis recte habetur, locorum parallelorum usum, quem, qua plerumque fit, ratione in subsidium vocare, sublato commentariorum mutuo usu minime licet 8).

---

7) Etenim historia Christi ipsa eiusque primaria capita firmissime superstructa nituntur ecclesiae christ. ab Apostolis conditae, ita ut, si vel nulla supersint evangelia, de saluberrima Domini vita et morte minime possit dubitari; id quod bene exposuit DE WETTIUS in libro: *Theodor, oder des Zweiflers Weihe.* (Berol. 1822.) Vol. II. p. 255 sqq. — Evangelicae vero historiae fides optime superstruitur Matthaei, qui primus posuerit scribendi tirocinium, et Ioannis Apostoli, qui extremus accessit, utriusque αὐτόπτου testimoniis. Ad quem utrumque si exegeris Lucae commentarios, fontium, quos secutus est, satis apparebit idonea indoles.

8) Quod quale sit, facile patet; si suis invicem commentariis usi sunt, multo utilior, vel necessarius adeo est locorum parallelorum usus. Illud si negaveris, accuratius ante omnia de evangeliis interpreti invicem comparandis est praecipiendum cautiusque in interpretatione ipsa versandum. Ita enim statuens interpres, ut exemplum ponam, quo iure asserere poterit loci Luc. 11, 39—41. unice fere aptam explicationem e loco parall. Mt. 23, 25, quae stare nequit, nisi ipsa loci paralleli verba Lucam ante oculos habuisse concedas?

Quod vero quaestionis instituendae rationem attinet, novis indulgere coniecturis nolui; imo ea quae coniecta disputataque deprehendi, denuo recensere accurateque explorare. Singulas tamen virorum doctorum sententias sigillatim perstringere pigebat, nec videbatur necessarium: placuit potius ad certa genera certasque leges, quantum fieri posset, omnia revocare, quum primariis, quibus nitantur, momentis confirmatis refutatisve, reliqua singulari expositione nequaquam egeant. Qua in re id potissimum agendum duxi, ut neque in universum aliam impugnarem, aliam propugnarem sententiam, sed ad singula quam maxime descenderem, atque ante omnia evangeliorum necessitudo qualis sit, diligenti eorum contentione denuo instituta, uberiori locorum copia sigillatim demonstrarem 9).

Quibus ita expositis nihil restat, nisi ut hoc statim loco sententiam nostram aperiamus, ne nimium ipsi lectoresque nostri fluctuemus. Nititur hisce, quae iterata nobis comprobavit exploratio, momentis. 1. Evangeliorum, quae deprehenditur, similitudinem e fontibus scriptis esse repetendam, primo fere obtutu docet res ipsa, neque idoneis argumentis refutarunt adversarii. 2. De archetypo, quo pro-

9) Ac ibi quidem uberius ea etiam repetere, quae demonstrata erant dudum, cogebat communis fere inter theologos opinio, de mutuo usu nunc quidem esse conclamatum.

vocare possis, sive scriptum sive ore propagatum existimes, coniectura stare nequit. 3. Mutuum contra, quod simplicissimum est statuere, commentariorum suorum fecisse auctores nostros usum, demonstrat evangelii, quod Marci est, indoles, quippe totius e Matthaeo et Luca decerpti. 4. Iam, quae sola restat, Matthaeum inter et Lucam necessitudo omnium facillime et simplicissime eadem ratione *) explicari videtur.

Iam quae his coniunctis efficitur, (Oweni Angli et Griesbachii) sententia: Lucam praeter alios, quibus usus est, fontes e Matthaeo, Marcum ex utroque hausisse, *quinque capitibus* ita absolvetur, ut *primum* res ipsa sententiaeque breviter recenseantur; *deinde* causae, unde iudicium pendeat, exponantur; *tum* e certis hac expositione effectis legibus sententiae examinentur; *quarto loco* uberiori trium evangeliorum collatione nostra sententia probetur, et refutatis *denique* adversariorum qualibuscunque obiectionibus uberius defendatur.

*) Ita tamen, ut eorum potissimum quae Schleiermacherus (cf. not. 38.) exposuit, Lucaeque, postquam diu in Asia versatus fuerat, cum Paulo in Palaestina commorationis rationem habeas.

CAPUT PRIMUM.

REI ET SENTENTIARUM BREVIS RECENSUS.

Tria in censum veniunt: primum, ut recte perspicere tutoque diiudicare possis rem, de qua quaeritur, pauca praemittenda sunt de vera quaestionis natura deque variis, quibus expediri possit, rationibus; deinde, in qua cardo vertitur, trium evangeliorum et consensio et dissensio delineanda; addendus denique eorum, quibus ista necessitudo explicari tentata est, recensus.

SECTIO PRIMA.

De quaestionis vi et rationibus.

Quaestio est e genere historico eaque duplex; altera de historiae evangelicae fontibus deque scriptorum evangeliorum origine in universum, altera de trium nostrorum evv. nexu interno, conspicuo eo in singulari et convenientia et discrepantia mire mixta. Quod utrumque quaestionis momentum arctissime coniunctum, ita ut alterum non possit non ab altero pendere idque vicissim illustrare; at probe cavendum, ne misceamus alterutrive nimiam tribuamus vim.

I. In rebus historicis, quae utrum vere gestae qualesve fuerint quaeritur, duplex patet probationis via, quarum altera nititur colligendis accurate et invicem nectendis, quae e monumentis historicis rerumque olim gestarum rationibus vel diserta narratione cognoscuntur, vel concludendo efficiuntur; altera, quae est e genere interno, ipsum rerum temporisque intimum ingenium, collectis quae passim habentur indiciis, diligenter perscrutando rem decernit. Prior illa probationis via, si diserta, quae rem ipsam tangunt, vel certe hanc vel illam rei indolem necessario flagitant, adsunt testimonia, eam efficit persuasionis firmitatem, quae maior est omni dubitatione; demonstrationem historicam dicunt. Quorum vero testimoniorum defectionem si explere velis coniiciendo, meram habes eamque sublestae admodum fidei e genere historico coniecturam.

Alteram quod attinet probandi viam, singulorum e genere interno signorum indiciorumque diligenter collectorum enarratione scitaque compositione fit probatio eademque, etsi alia ratione, persuasionis firmitas [10]), eaque eo maior,

10) Possunt enim interna etiam, quibus nititur, testimonia singula ita expendi exponique, ut eorum indolem et vim oculis quasi usurpare possis; certe, modo rebus indagandis ipse operam dare, neque in aliena auctoritate acqui-

quo maior est eorum, unde argumenta ducas, ambitus. Est igitur utrumque probationis genus, si rite fit, pari loco habendum, at hoc concedendum, illud, modo veritati explorandae revera studeas neque coniecturis fingendis et exornandis ingenio doctrinaeque copiae et subtilitati indulgere malis, minus facile posse perverti, et si perversum temereque adhibitum sit, facilius certe et deprehendi et refutari, quoniam momentis historicis nititur, quorum vera indoles explorari et clare exponi potest; huius contra, quippe a sensu momentisque internis magna sua parte pendentis, facilius fieri, ita ut vel ipse nescias, abusum, eumque, quum maxime varia sit singulorum hominum sentiendi ratio, difficilius emendari [11]). At cuique manet suus honos, ne-

escere consueveris, de sententiae quae inde ducitur veritate non poteris solum semper decernere, sed firmiorem etiam, quamvis subiectivam (illud utpote historicum, magis est e genere obiectivo), quam dicunt, iis effectum iri persuasionem animadvertes. Caeterum est adeo, quo testimonia interna praestent externis, id dico quod utpote non e longinquo sed e media ipsa, de qua quaeritur, re petita, non egent externa probatione iudicandique de iis provincia non tam in ipsis argumentis, quam in eorum usu examinando versatur. Contra argumentorum externorum non sufficit iustum, qui factus sit, usum probasse: imo ipsa eorum, utpote quae aliunde petita sint, iusta indoles prius est demonstranda.

11) Hinc factum, ut argumentis internis in omni disciplina exegetica non raro abusi sint viri docti, ita ut vel ipsa apud

que usum tollit abusus, eo maiori is vitandus cautione quaerendique diligentia.

II. Quae si rei nostrae applicueris absque ira et studio, primo statim oculorum obtutu perspicitur, idonea, quibus, quod priori loco posuimus, probationis genus nitatur, deesse praesidia historica. Etenim de evangeliorum nostrorum et in universum et singulorum origine, fontibus, fatis, in veteri ecclesia auctoritate, de eorum nexu interno eiusque causis non reperitur solum nusquam consulto et diserte expositum [12]), sed ea etiam, quae supersunt disiecta variorum scriptorum, temporum, locorum membra neque satis sunt idonea, neque extra dubitationem posita; quaeque iis, sive callide pervertendis, sive artificiose satis componendis exornandisque, sive denique fingendo adeo explendis non sine maximo viri docti effecisse sibi visi sunt arbitrio, certe

---

multos male omnino audiant. At ipse, e quo pendent, sensus, certis finibus circumscribi suisque adstringi potest legibus, id quod eo magis optandum, quo praeclarius est et critico et interpreti praesidium.

12) Momentum facit **Lucae prologus**, quem tamen omnes fere in suae sententiae patrocinium convertendum callide curarunt. Cf. Cap. II. Sect. III. Quae vero seriorum scriptorum huc pertinentia testimonia occurrunt, alia sunt obscura atque ambigua, alia vel inepta adeo, alia serioris aetatis opinionibus aperte inservientia; quid quod fabulis nugisque ad unum omnia sunt mixta. Cf. Cap. II. Sect. II. ubi de eorum indole et miro abusu uberius exponetur.

non praestant, quam iure postulaveris, historicae probationis firmitatem. Quapropter iure nostro, quae ex hoc genere prolata sunt, meris annumerare coniecturis, iisque admiscendis non expediri, imo implicari atque impediri quaestionem, existimare nobis videmur.

Restat igitur ingredienda altera, quam posuimus, via, suis e genere interno argumentis haud pariter destituta. Atque ibi quidem, quod priorem quaestionem attinet, fit probatio ex apostolorum aetatisque apostolicae ingenio reliquisque rationibus diligenter exploratis; contra, quam de evangeliorum consensu ab illa distinguendam alteram fecimus, expedienda est accurata horum commentariorum ipsorum perscrutatione et invicem contentione. Qui quum ipsi in primariis illius aetatis cognoscendae fontibus iure habeantur, est profecto ab hac posteriori quaestione accurataque horum fontium diligenter collatorum exploratione ordiendum; imprimis quum quatuor eorum auctores diversae, quae in antiquissima ecclesia obtinuit, de re christiana sententiae [13]), ab ipsis primariis eius pro-

13) Quarum alteram, Christianis e Iudaeis probatam, Petri potissimum auctoritate firmatam tenent Matthaeus et Marcus, alteram, liberiorem illam, sive liberaliorem potius dicas, a Paulo profectam et inter Christianos e paganis latissime propagatam, Lucas et Ioannes.

motoribus profectae, gravissimum exhibeant testimonium.

III. Quibus ita disputatis hoc nobis effecisse videmur, primum omni fundamento carere duplicem sententiam hanc: a) quaestionem nostram utpote historicam vacillare totam, nisi a testimoniis historicis tamquam fundamento proficiscatur [14]); b) quorum defectio quum non possit nisi coniecturis historicis expleri, non solum restare hanc solam rei expediendae viam, sed qualemcunque etiam hac in re sententiam nonnisi talis conjecturae loco esse habendam et e maiori minorive probabilitate, quam dicunt, historica aestimandam [15]). Deinde vero omnem rei ipsius cardinem verti in accurata uberiorique trium evangeliorum et invicem et cum ioanneo contentione [16]); idque eo magis, quo

14) Id quod existimavit ZIEGLERUS in GABLERI *novo diario theolog.* Vol. XV. (1800) p. 419.

15) Idem *l.* c. p. 417: „*die durch den Mangel an ursprünglichen hist. Nachrichten gelassene Lücke kann nur durch hist. Hypothesen ausgefüllt werden.*“ p. 419: „*Jede mögliche Vorstellung über diesen Gegenstand kann nichts mehr als hist. Hypothese heissen.*“ Similiter VOGELIUS in GABLERI *Diario* (*f. auserles. theol. Litt.*) Vol. I. 1804. fasc. 1. in. At hoc modestius, quam verius dictum, et propter nimium, quod admittit, arbitrium adeo noxium.

16) Quod utrumque fere sufficere dixeris; etenim si e mutuo usu profecta est eorum similitudo, debet hoc demonstrari posse mutua contentione; si e communi fonte, debent eius

tutius in tam larga eorum, quae comparari possunt, copia non possit non habere iudicium. Eorum contra quae ex ingenio apostolorum aetatisque apostolicae aliunde cognito ducantur, eum usum faciendum, ut ad sententiae priori via inventae confirmationem uberioremque illustrationem convertantur, sin minus conveniant, refutentur. — Quibus ad muniendam viam praemissis, iam placet ad rem ipsam, necessitudinis, quae trium evv. deprehenditur, delineationem pergere.

SECTIO SECUNDA.

De trium evangeliorum necessitudine.

Mutuus obtinet nostrorum evangeliorum et consensus et dissensus, non solum in rebus ipsis inque rerum tradendarum ordine et ratione, sed in ipsis etiam loquendi formulis et singulis vocabulis, iisque haud raro satis peculiaribus, conspicuus; ita quidem, ut neque quae congruant neque quae discrepent ad certas leges possint exigi,

---

etiam apud Ioannem obvia esse idonea vestigia. Caeterum huius comparationis ipsius fines et rationes pluribus persequemur eamque contra recentiorum [ut SCHLEIERMACHERI in libro: *krit. Versuch über die Schriften des Lucas*. Vol. I. (Berol. 1817) p. 16. et SCHULZII: Theoll. Annall. 1817. p. 967.] obiectiones asserendam curabimus Cap. II. Sect. III.

sed miro potius modo invicem sint mixta. Sigillatim ita habet [17]).

I. Narrationis primum ambitus maximam partem communis est scriptoribus nostris, convenientibus quippe in quadraginta duobus, quae integram fere contineant rerum Iesu Christi epitomen [18]), capitibus; rarius nonnisi duo consentiunt, et quidem Matthaeus et Lucas decies et quater, Marcus et Matthaeus duodecies, Marcus et Lucas quinquies; paucissima habent singuli sibi propria, Matthaeus quinque, Lucas novem, Marcus duo capita. Quod vero rerum narrandarum delectum attinet, is in variis

17) Secuti potissimum sumus GIESELERUM l. c. p. 3–8. Rei summam bene tetigit SARTORIUS: *Drei Abhandlungen etc.* pag. 11 sqq. Caeterum conferri possunt SCHMIDTIUS: *Einleitung in d. N. Test.* I, 51. 99 sqq. HUGIUS: *Einleitung in die Schrr. des N. T.* (ed. II. Tub. 1821.) II, p. 66 sqq. 100 sqq. 136 sqq. EICHHORNIUS: *Einl. in das N. T.* (ed. II. Lps. 1820.) I, 161 sq. BERTHOLDTUS: *Einleit. in die canon. und apocr. Schriften des A. und N. T.* III, 1098—1104. PAULUS: *Conservat.* I. 2 sq. —

18) Id quod non poterat profecto aliter fieri. Etenim quicunque rerum Iesu Christi scriberet commentarios, (atque in evangeliis nostris momentum historicum prae reliquis obtinere, dubio caret), e quocunque demum fonte sua hauriret, non poterat is non perstringere certo quodam ordine primaria vitae eius capita. Argutantur igitur, qui in hac, quae videtur esse, epitome principalem institutionis evangelicae formam, sive evangelium primitivum, sive rerum Iesu Christi narrandarum διήγησιν dicant, sibi invenisse videntur.

vitae Domini partibus [19]) varie habet. In summa nostrorum in iis, quae sunt e genere mere historico, ut in historia Ioa. Baptistae, ultimorum Domini fatorum, convenientia dissidere potissimum deprehenduntur in rebus ad prima vitae eius initia, atque ad ea, quae ipsi post mortem acciderunt, extrema pertinentibus [20]). Similiter discrepant, quae apud Matthaeum (Cap. 5—7.) et Lucam (Cap. 9, 51 — 18, 14.) habentur institutionis parabolicae specimina. In narrationis denique ad certum ordinem compositione licet animadvertere, Mat-

19) Rectius quaestionem licet dirimere, modo singulas has partes accurate distinxeris; quo nomine maxime commendari meretur descriptio synoptica, quam ex recens. GRIESBACHII, sex partibus absolutam, concinnaverunt DE WETTIUS et LÜCKIUS (Berol. 1818 4.).

20) Pertinent huc nonnisi Matthaeus et Lucas; Marcus primordia Christi de industria transmisit; extrema vero Domini fata quod attinet, sive ipse librum suum ad finem non perduxit, sive, quod minus est probabile, libri finis mature intercidit: etenim quae nunc habetur extrema ev. pars (Cap. 16, 9 — 20.) certe Marcum non habet auctorem, id quod demonstravit SCHULTHESSIUS in KEILII Analectt. III. Bd. 3 St. pag. 109 sqq. Cf. GRIESBACHII *Commentar. crit.* II, 197 sqq. et GRATZII liber: *Versuch d. Entsteh. der 3 Evv. zu erklären* (Tub. 1812.) p. 52 sqq. — Matthaei autem et Lucae, quem diximus, dissensus non admodum difficilis est perspectu e diversis fontibus derivandus. Quidni enim uterque, quae relata acceperat, alter in Palaestina, alter in Asia, narraverit ingenue, ita ut, qui serior scripsit, priorem prorsus missum faceret? —

thaeum argumenti [21]) potissimum, Lucam temporis [22]) rationes sequi; Marcum, qui nonnisi paucissima habet sibi propria, quamquam in narrationibus ipsis earumque conformatione Matthaeo fere inhaerentem, eundem cum Luca ordinem tenere [23]). Eorum vero, quae in oratione montana, quam dicunt, a Matthaeo collecta sunt, Christi effatorum singula quaedam variis in locis interposita habet Lucas; Marcus vero totam hanc orationem aeque atque ea, quae Lucas (Cp. 9,

---

21) Cf. potissimum, quae alio prorsus quam reliqui ordine habet, Cpp. 5—13 extr.; a Cp. 14. eius narratio in universum fere eodem ordine, quo Lucae et Marci procedit, quamquam ibi etiam coniuncta vides, quae sunt eiusdem argumenti, ut Cp. 21, 23 sqq. de Pharisaeis a Iesu refutatis, et nobili de excidio Hierosolymorum etc. loco Cpp. 24. 25.

22) Voluit certe; cf. eius prooemium (1, 3.); nec desunt plura in ipso evangelio indicia, quae hunc ordinem revera tentatum doceant, ut 3, 1 sq.

23) Est igitur in promtu causa, cur Marcus, Matthaeo utpote apostolo caeteroquin usus, maluerit Lucae ordinem sequi. Discrepat nonnisi bis, idque in eodem loco: Mc. 3, 21—35. coll. Luc. 11, 14—23. 8, 19—21. (Mc. 4, 1—25. coll. Luc. 8, 4—18). At ne quid inde temere colligas, attendas haec: primum quae proxime antecedunt apud Luc. 6, 17 — 8, 3. prorsus omisit Marcus; deinde prior loci pars, Mc. 3, 21—30. c. Luca nonnisi in iis, quae Mt. (l. parall. 12, 22—32. 46—50) etiam habet, convenit, contra cum Mt. habet communia, quae in Luca desiderantur; iam quae apud Mt. antecesserant habes etiam apud Mc. in antecedd.; denique in altera loci parte deprehendis eundem, quem apud Mt. 12, 46—50. 13, 1—34. ordinem.

51 — Cp. 18.) habet propria, prorsus praetermisit [24]).

II. Eadem scriptoribus nostris in universum communis est narrationis conformatio, quippe Iudaeis omnibus, eadem et sentiendi cogitandique et dicendi forma usis, et a litterarum subtilitate aeque alienis; omnem quoque, qui erat, ingenii cultum soli, si quid video, pietati christianae debentibus. Quibus, id quod singulorum contentione efficitur, accesserit necesse est externus aliquis, qualiscunque demum fuerit, fons. Ac in hoc quidem genere, quod est logicum, summus deprehenditur nostrorum consensus in eo, quod est in singulis expositionibus primarium, ita quidem, ut in ipsa narrationum sede ipsisque, quae referuntur, aliorum verbis de verbo adeo conspirent [25]), con-

24) Causam quaeris? nulla quae valeat potest, ut infra demonstrabitur, afferri, nisi eum Mt. et Luc. commentariis usum esse statuas.

25) Hinc summa convenientia reperitur praesertim in orationibus, quas Iesu aliorumque interponunt, in vaticiniis omninoque in V. T. locis rerum christianarum sive illustrandarum sive commendandarum causa allatis, ibi etiam, ubi et a versione graeca et ab hebraicis recedunt sive e pluribus adeo locis sunt conflata. (Exempla habeto haec: Mt. 20, 18. 19. coll. Mc. 10, 33. 34. Luc. 18, 31—33. al. — Mt. 21, 13. coll. Mc. 11, 16. Luc. 19, 46. (conflat. e Ies. 56, 7. et Ier. 7, 11.) al. Cf. Gieselerus l. c. p. 7 sq. — Quod de V. T. locis diximus, id eo magis attendendum, quo magisin faciendo eorum usu singuli differunt.

tra a se invicem fere semper recedunt suumque quisque morem sequuntur in nectendis sive sententiis sive factis, proponendis eorum causis aliisque quae adiunctae erant temporis locique rationibus, ita ut sibi vel contradicant adeo [26]). Saepissime vero vel novas sententias intexunt, vel quas communes habent, varie exponunt [27]).

III. Sermonis denique conformatio quamquam in universum eadem est, e semiticis graecisque mixta, quemadmodum quivis homo sua habet sibi peculiaria, et singula et iuncta vocabula vocabulorumque formas, ita nostri quoque, ut fieri solet, inscii diversis modis conformasse deprehenduntur quisque suum dicendi genus. Hinc factum, ut in universum magis graece habeant,

---

26) Ut est in locis hisce: Mt. 20, 29. coll. Luc. 18, 35. (ubi utrumque conciliavit, certe utrumque coniunxit Mc. 10, 46.); Mt. 8, 28. coll. Luc. 8, 27. Mc. 5, 2; Mt. 22, 35. coll. Mc. 12, 34. al.

27) In universum causa patet. Nostri res ipsas narrationumque argumenta non poterant non minus habere subacta; contra in exordiendis potissimum annectendisque, nec non in finiendis et cum iis, quae sequuntur, coniungendis narrationibus suis uti viribus summaque versari et poterant et debebant libertate. Gieselerus l. c. aliique minus recte causam quaesivisse videntur in rerum gravitate et vi, ita ut in iis potissimum conspiraverint, quae ipsis habere visa sint momentum. Caeterum etsi finitima, non prorsus tamen eadem similitudo obtinet in parabolis, quippe quas utpote facilius, id quod sine dubio factum est, ore propagatas nostri quoque liberius poterant narrare.

quae sunt apud Lucam, quam quae apud Mt., et, quod ex eodem derivandum est fonte, ut in locis, quae, sive sententias earumque compositionem sive singula vocabula spectes, utrique sunt communia, color, qui apud Mt. magis hebraicus est, apud Lucam in formam magis graecam immutatus reperiatur. De Marco iudicium minus patet [28]). — At in hoc etiam genere a certo firmeque iam constituto fonte nostros pendere, docent, quae communia habent, satis singularia et vocabula et formae [29]).

Accedit, hunc ipsum consensum et dissensum, quemadmodum hoc postulat rei natura et ex iis etiam, quae diximus, passim apparuit, satis varie habere in singulis evangeliorum nostrorum

---

28) Tamen, quod de Marci narrationis et ambitu et forma constat, id etiam de eius sermone valere, eumque e Matthaeo et Luca mixtum esse recte dixeris. Habet tamen etiam, quibus prae reliquis delectetur. Cf. SCHULZIUS: *schriftstellerische Eigenheiten des Marcus* in KEILII *Analecti.* Vol. II. fascic. 2. 3. Vol. III. fascic. 1.

29) Conveniunt quippe saepissime modo duo tantum, modo omnes in vocabulis vel in N. T., vel omnino ἅπαξ λεγομένοις, [ut κατακλάσαι ἄρτον Luc. 9, 16. Mc. 6, 41. ἅπ. λεγ. in re frequentissima, pro κλάσαι, quod habet Mt. l. parall. 14, 19. (coll. MARSH. p. 189.) al.] Idem observari licet in particulis aliisque vocabulorum accessionibus, nec non, quod verba attinet, in praeverbiorum temporumque usu [ut ἀπάρθη Mt. 9, 15. et ll. parall. (coll. MARSH. p. 183.) al.] Idque in tam diversa aramaici graecique sermonis indole notatu dignissimum. Cf. VOGELIUS l. c. p. 16 sq. MARSH. p. 175 sqq. HUGIUS II, p. 71 sqq.

auctoribus. Quorum si accuratam contentionem feceris, in universum summa hac in re uti libertate reperies Matthaeum et Lucam; Marcum contra nonnisi paucissima, quemadmodum in rebus, ita etiam in earum narrandarum forma inque sermone adeo habere sibi propria, sed nunc cum alterutro convenire, nunc, quae apud utrumque separata habes, coniungere. Similiter in iis, quae nonnisi duobus sunt communia; liberius habent quae apud solos Matthaeum et Lucam [30]), quam quae apud Matthaeum et Marcum, nec non apud Marcum et Lucam leguntur [31]).

SECTIO TERTIA.

Variarum sententiarum conspectus.

Cuius trium evangeliorum vicissitudinis, quum a casu quodam non repeti posse facile

---

30) Contrarium contenderunt Marsh l. c. pag. 226 sqq. et Hugius II, 136 sqq. Recte iam recessit Bertholdtus III, 1103 sq. Etenim in universum omnium, quae Lucas habet Matthaeo parallela, eadem est ratio, maior vero minorve Lucae cum eo convenientia non nititur Marci interventu, sed argumenti varietate, id quod infra demonstrabitur.

31) Quae omnia nunc quidem non poterant uberius, exemplis ipsiusque iudicii rationibus allatis (cui officio nostro infra satisfiet) stabiliri. Exhibenda erat brevis, quae rei conspectum quam maxime adiuvaret, delineatio; quapropter causas etiam, quae nobis viderentur esse, non intexendas quidem expositioni, ne iudicium praeripuisse videremur, at in notis certe adiiciendas duximus.

appareret, veras causas et fontes indagare et accurate explicare conati sunt viri docti [32]), ita quidem, ut utramque, quae pateret, viam ingressi, sive e suis invicem commentariis, sive e communi fonte, eoque vel scripto, vel ore propagato hausisse docerent scriptores nostros, adderentque varias de evangeliorum ipsorum fontibus, originibus, indole disquisitiones ac coniecturas [33]). Sed age singula percurramus.

I. Mutuum evangeliorum usum, quemadmodum res ipsa suadet, ita omnes fere antiquiores probarunt. Quae sententia, triplex ipsa prout sive Matthaei, sive Marci, sive Lucae evangelium principale existimaveris, quum non duos tantum nostrorum sufficiat statuere suos invicem adhibuisse commentarios, sed tertius, qui

---

32) Antiquiores omnes, minus recta de librorum SS. originibus ab ipso numinis divini extraordinario concursu repetendis opinione, ex qua ad Spiritum sanctum, cuius quasi amanuenses fuerint scriptores sacri, omnia referrent, praepediti, ab hac omni quaestione abstinuerunt; praeeuntibus demum familiarum Socinianae et Arminianae theologis nostri, superiori potissimum saeculo ex., rem aggressi, non tamen omni caruerunt virorum piorum reprehensione.

33) Recensum habes apud Herb. Marsh: *Zusätze zu Michaelis Einl. in das N. T., übers. von* Rosenmüller (Gott. 1803. 4.) II, 140 sqq.; apud Vogelium in Gableri *Iourn. für auserles. theol. Litt.* I Bd. 1 St. (1804). et Gieselerum l. l. pag 30 sqq. Nos autem, ne acta agamus, sententias breviter perstringemus, ita quidem, ut earum causas simul significemus.

e duobus reliquis hauserit, accedat, sex absolvitur diversis formis [34]), quarum quinque (excepta, quam tertio loco infra posuimus) doctorum virorum assensum revera tulerunt, ita tamen, ut varie immutarentur coniungerenturque

---

34) Sunt hae:

	Hauserunt		
I. *e Matthaeo*	II. *e Marco*	III. *e Luca*	
Mc. *a*); Luc.;	Luc. *d*); Mt. *e*);	Mt.;	Mc.;
ex utroque	*ex utroque*	*ex utroque*	
1. Luc. *b*)	2. Mc. *c*)	3. Mt.	4. Luc. 5. Mc. *f*) 6. Mt. *g*)

a) Augustinus *de consens. Evv.* 1, 4. — *b*) Post Grotium, Millium, Wetsten., Townsonium potissimum Hugius in *introd. in N. T.* vol. II, ab init. — *c*) Post Owenium Griesbachius in Dissertatt.: *de Marci evangelio* etc. (repet. in *Commentatt. theoll.* I, 360 sqq.) et: *de fontibus unde evangelistae suas de resurrectione Domini narrationes hauserint* (Ien. 1784. 4.) et Ammonius in Diss. *de Luca* etc. [De Marco evangeliis Matthaei et Lucae uso consenserunt Strothius: *über Interpolatt. im Mt.* (in Eichhornii *Repertor.* Vol. IX.) p. 144. et Paulus *Conservat.* I.] — *d*) *e*) Storrius: *über den Zweck der evangelischen Geschichte* etc. p. 274 sqq. et: *de fontibus Evv. Matthaei* et *Lucae* (Tub. 1794. 4. — repet. in *Commentatt. theoll.* Vol. III, p. 140 sqq.) — *f*) Büschingius: *Harmonie der Evangelien* (Hamb. 1766.) p. 99. 108. 118 sqq. et Edw. Evansonus, Anglus: *the dissonance of the four Evangelists* (1792) [qui vero spuria censet, saeculo demum secundo compilata Evangelia Matthaei et Marci]. — *g*) Vogelius l. c. — — Caeterum conferri licet Gieselerus l. c. Bertholdtus III, p. 1111 sqq.

et invicem et cum aliis coniecturis [35]). Caeterum quum de ordine, quo se exceperint scriptores nostri, non constet historicis testimoniis, ad argumenta interna conversi, relicta communi totius ecclesiae ab antiquissimis temporibus sententia, alii primum locum assignandum censuerunt Lucae utpote in prooemio nullam evangelii ab Apostolo aliove homine fide digno conscripti mentionem facienti [36]), alii Marco utpote qui non modo sit brevissimus, sed iis etiam, quae recentior aetas mythorum nomine notavit, historiis natalium et infantiae Domini careat [37]).

II. At quum praeter idoneas, quibus et omnis hic evangeliorum usus et singulae eius explicandi formae premerentur, difficultates *),

35) Huc pertinet sententia de ev. Matthaei aramaico, quam si probas, Matthaeo ex Evangeliis Marci et Lucae graecorum, quae deprehenditur, similitudo per interpretem graecum accessisse statui potest.

36) Ita statuerunt praeter Büschingium et Vogelium Russwurmius: *über den Ursprung der Evv.* p. 131 sqq. 143 sqq. et Zieglerus apud Gablerum l. c.

37) Ita Sartorius l. c. p. 126.

*) Urgent potissimum idoneam, quae deprehendatur, rerum verborumque discrepantiam, ita comparatam, ut, si mutuus statuatur usus, neque in universum explicari possit, quomodo singuli caeteroquin tantopere congruentes alia omittere, alia aliter prorsus, ut sibi vel repugnare viderentur, narrare; singula verba verborumque adeo series modo accurate tenere, modo, quasi se ex aliis sua hausisse celaturi, immutare atque invertere potuerint; neque sigil-

sententia ipsâ non sufficere videretur internae evangeliorum necessitudini explicandae, satius duxerunt haud pauci, ad communem, unde quemadmodum convenientia ita etiam discrepantia nostrorum quaelibet derivari possit, provocare fontem scriptum. Ac facillime quidem se expediverunt, qui quum plures sat antiquos rerum Christi commentarios (Luc. 1, 1.), breviores amplioresve, hebraice alios, alios graece scriptos hoc nomine appellarent, in universum probabiliter disputando rem omnem absolvebant, ita ut nostros ubi conveniant, ex eodem fonte, ubi autem vel addendo, vel omittendo, vel aliter rem narrando discrepent, e diversis libris hausisse contenderent [38]). At difficilius habebant, qui, ut

---

latim, quomodo, qui serior scripserit, negligentius saepe et brevius (quamquam alibi uberius et diligentius) versatus sit eo, qui prior est.

38) Post Clericum potissimum Michaelis *in introduct. in N. Test.* II, §. 125. (ed. 3.) §. 129. (ed. 4.); Koppius in Diss: *Marcus non epitomator Matthaei* (Gott. 1782. 4. — repet. in Pottii *Sylloge commentatt. theoll.* I, 55 sqq.); Halfeld in Commentat. *de origine quatuor evangel.* (Gott. 1794. 4.) pag. 40 sqq. — et recentiss. Kaiserus in commentat. *de linguae aram. usu ad iudicanda et interpretanda evv. canonica.* Sect. I. p. 5. (Erlang. 1823. 4.): „fragmenta evangelica, nondum connexa, tam aramaica quam graece facta, eaque non solum ore propagata, sed etiam ut memoriae evangelistarum infigerentur, litteris passim mandata imo sermones Iesu ipso adhuc in terris versante calamo exceptos eiusque memorabilia quae-

hoc arbitrium circumscriberent, unum quendam, qui principalis sit et reliquorum omnium fons, librum postularent; ita quidem, ut hoc nomine ornarent alii evangelium, quod dicitur, secundum Hebraeos [39]), alii scriptionem Matthaei principalem aramaice exaratam [40]), alii denique, id quod pluribus

---

dam dudum consignata." Similiter statuerunt PAULUS in Commentario (Lubec. 1804. sq. ed. II.) de iis quae Matthaeus et Lucas communia habent [cf. not. 34. c) et not. 46.] et SCHLEIERMACHERUS: *Krit. Versuch über die Schriften des Lucas* (Berol. 1817.), qui Lucam tales commentarios ab aliis eadem, qua nunc gaudent, forma compositos nonnisi collegisse et in unum volumen conscripsisse opinatur; refutatus a censore (Dav. SCHULZIO) in *Annall. theoll.* 1817. p. 933 sqq. et 964—985.

39) Ita post LESSINGIUM (*theol. Nachlass* p. 47.) NIEMEYERUS in *Coniecturis ad illustrandum plurimorum N. T. scriptorum silentium de primordiis vitae I. Chr.* (Hal. 1790. 4.) pag. 8 sqq. WEBERUS: *Beiträge zur Geschichte des N. T. Canons* (Tub. 1791.) pag. 21 sqq. et: *Untersuchung über das Ev. der Hebräer.* (Tub. 1806); THIESSIUS in Commentar. crit. Vol. I, in. et VENTURINI: *Geschichte des Urchristenth.* Vol. II, pag. 8.

40) Ita quidem ut sive ex aramaico ipso (SCHMIDT: *Einl.* I, 68), sive e versione graeca evangelia nostra fluxisse existimarent; ut: CORODIUS: *Beleuchtung des Bibelcanons* II, 149—52., qui huius versionis nomine Iustini M. ἀπομνημονεύματα appellat, et FEILMOSER: *Einl. in die Bücher des N. B.* (Insbr. 1810.) pag. 52 sqq. qui nostrum Matthaei evangelium huius fontis, cuius variis versionibus usi sint Luc. et Marcus, auctam (id quod praeiverat SEILERUS) a Matthaeo ipso aramaice repetitam recensionem, serius [fortasse a Ioanne] adhibita libri principalis graeca versione graece factam. Coniunxerunt sententiam cum mutuo usu BOLTENIUS

deinceps viris doctis probatum est, unum quoddam apostolorum auctoritate tamquam docendi narrandique norma constitutum evangelium, breve id atque aramaicum [41]), cuius vero historica vestigia ad unum omnia perierint. Etenim quum omnia quaecunque ex eodem fonte eoque scripto explicanda sumsissent, eum admodum varie, imo mire adhibitum, auctum [42]),

---

in praefatt. ad versionem Matthaei, Marci et Luc. vernaculam et SEILERUS in Dissertatt. *de tempore et ordine, quibus tria evv. priora canonica scripta sunt*, I. II. (Erl. 1805. 1806. 4.).

41) Proposuit sententiam primum accurate et uberius, ut doctrina et eruditione, ita coniiciendo celeberrimus EICHHORNIUS in *Biblioth. Litt. bibll.* Vol. V, p. 761 sqq. (1794); repetiit auctiorem, contra HUGIUM aliosque, in *Introduct. in N. Test.* Tom. I. (Lps. 1804); [minus, quod iure mireris, emendatam et a recentiorum obiectionibus defensam in eiusdem libri ed. II. Lps. 1820]. Varie exornarunt, qui secuti sunt RUSSWURMIUS: *über den Ursprung der Evv.* etc. (Ratzeburg 1797.) Vol I. ZIEGLERUS l. c. HABNLEINIUS in *Introduct. in N. T.* III, 30 sq. KUINOELIUS (obiter in *Prolegg. ad Ev. Matthaei* p. 4.) et BERTHOLDTUS in *Introduct.* III, 1205—1254. Caeterum breve fuit, utpote quod, quum nihil omittere potuissent nostri, nihil deberet continere praeter ea quae omnibus communia sunt; aramaicum utpote ab hominibus Palaestinensibus in Palaestina scriptum.

42) Praeivit NIEMEYERUS l. c. ag. 9. „singulis huius libri exemplaribus utpote propter argumenti gravitatem in plurimorum Christianorum manibus, ea quae quisque aliunde comperta haberet, tanquam auctaria adscripta esse, credibile est, ita ut vel apostolorum aevo plures extiterint horum memorabilium recensiones." Egregie expediverunt EICHHORNIUS et MARSH. ll. cc.

retractatum, subinde adeo perversum non poterant non existimare. Imo, quae inde orta est, variorum de rebus Domini voluminum multitudinem auxerunt adhuc, quod quamquam graecum postularet evangeliorum conformatio, aramaicum eum esse [43]) iuberent. Unde factum, ut, qui nimiam, quae in usum vocarentur, libri principalis retractationum et aramaicarum et graecarum multitudinem caverent, ad interpolationum, quas dicunt, artificium confugerent, quibus seriori tempore, potissimum quae in graecis est, similitudo magnam partem effecta sit [44]), mutuumque, qui accesserit, adderent usum et nostrorum invicem, et interpretis Matthaei graeci [45]).

43) Ut scilicet haberent dissensionis explicandae novum praesidium et in odorandis et docte exponendis interpretum graecorum sive ex incuria sive ex inscitia Aramaicorum profectis vitiis exercendi acuminis amplum campum. Praeiverat Semlerus ad Townsonium: *Abhandlungen über die Evangelien*, (Hal. 1783) I, 146 sqq. 221. 290.

44) Ita post Semlerum l. c. I, 222. 23. existimarunt Schmidtius l. c. et Gratzius: *Neuer Versuch die Entstehung der 3 ersten Evv. zu erklären*, (Tub. 1812) p. 141 sqq.

45) Huc pertinent Herderus: *Regel der Zusammenstimmung unserer Evv.*, quae commentatio adhaeret eius libro: *Von Gottes Sohn der Welt Heiland nach Johannes.* (Rig. 1797. — Operum Tom. XII.), qui ev. primitivum a Matthaeo aramaice auctum, a Marco graece versum, a Luca adhibito Hebraeorum evangelio retractatum, Marcum vero et Lucam ab interprete Matthaei graeco in usum vocatos existimat; Herb. Marsh. l. c. pag. 284 sqq. cuius, utpote qui doctissime de nostris rebus exposuit, sententiam infra uberius

III. Quae omnia, quum non historiae tantum silentio premantur, sed ipsis apostolorum temporibus reliquisque rationibus minime sint accomodata, praevaluit fere apud recentissimos sententia longe simplicior de fonte, non scripto, sed ore propagato; quo evangelii primitivi ore propagati nomine certam quandam evangelicae institutionis formam, repetenda saepius rerum Domini gestarum narratione in certum ordinem, vel insciis qui narrarent, redactam eamque eadem ratione propagatam, tandemque a nostris, ita ut de suis quisque adderet, litteris consignatam [46]). Quemadmodum enim iisdem

---

perstringemus; GRATZIUS l. c. qui aramaici principalis, mature Antiochiae concinnatam versionem graecam a Luca et Marco, utroque Pauli comite, ex aliis monumentis scriptis ab illo LXIX, ab hoc XX sectionibus auctam censet. Matthaei autem scriptio aramaica, ex aramaico principali profecta, at XXI sectionibus, quae vel recordaretur, vel e scripta, quam dicunt, gnomologia, ei qua Luc. (Cp. 9—18.) usus fuerat, haud absimili peteret, aucta, adhibito Marci libro graece est versa. Quae Matthaeo et Lucae communia sunt, seriori aetati interpolata debentur.

46) Sententiam primus indicavit HERDERUS in libro not. 1. laudato, serius uberius exposuit et immutavit. cf. not. 45. Secutus est ECKERMANNUS in libro: *Erklärung aller dunkeln Stellen des N. T.* (Kilon. 1806.) Vol. I, pag. XI. XII. et KAISERUS: *Bibl. Theol.* I, 224. (Erl. 1813.) Serius immutavit, cf. not. 38. Uberrime et doctissime exposuit GIESELERUS cf. not 3. Ex parte huc pertinet PAULUS (*Conservat.* I, 106 sq. 123 sqq. 165 sqq.) qui Matthaei et Lucae necessitudinem eadem ratione explicat, cf. not. 34. c).

rebus narrando saepius repetendis, apud eos potissimum qui narrandi minus periti sunt, eam effici quae iisdem et ordine et formulis et vocabulis adeo utatur, narrationis conformationem ipsa experientia doceat, id multo magis et fere necessario in apostolis locum habere debuisse, utpote quorum eadem fere ingenii animique affectio, eadem muneris officiique ratio, eadem denique eaque simplicissima, qualis Hebraeorum est, narrationis forma[47]). Atque tali historiarum evangelicarum conformationi quam simillimae debuisse adeo, qui eas narrandi in antiquissima ecclesia fungerentur munere, evangelistas studere, ne adversariis carpendi copiam facerent.

Accessit denique, quae prope abest a GIESELERO, at varias sententias miro modo coniungit coniectura haec[48]): evangelia nostra consilio mere dogmatico scripta continere varia litterarum monumenta, quae et doctrinae christianae et doctoribus fidem facerent, ab apostolis non sine idoneo negotio con-

47) Erat inde orta, quod lingua hebraica, sive vocabulorum copiam spectaveris sive eorum iungendorum usum et facultatem, angustioribus terminis erat circumscripta. Nec latius patebat sermonis graeci, qui Apostolis suppetebat, utpote ex hebraicis oriundi ambitus et usus.

48) Est SARTORII, theologi nunc Marburgensis: *drei Abhandlungen über wichtige Gegenstände d. exeg. und systemat. Theologie* (Gott. 1820,) pag. 11 sqq.

iunctis viribus confecta (παραδεδομένα Luc. 1, 2.) [49]); ea deinceps ore esse propagata et a doctoribus, qui evangelistarum nomine veniunt, (τοῖς ἀναταξαμένοις διήγησιν), sola cogitatione in certum ordinem composita atque ita memoriae mandata; a nostris denique evangeliorum auctoribus (γράψασι καθεξῆς) scriptione comprehensa, ita tamen ut e sola memoriae vi singula peterent. Huius scriptorum

---

49) Initium fecerunt, quum Barnabae Antiochiam mittendo (Act. 11, 22 sqq.) fides esset facienda. Alia serius accesserunt Apostolis non amplius uno loco congregatis, ut historia resurrectionis (quam apostolorum ille consessus utpote simplicissimam et scripto testimonio minime egentem transmiserit, ita ut potius historiam mortis oppetendae suppliciique uberius exponerent); et extremo loco historia infantiae. Caeterum haec monumenta partim ab initio iam erant coniuncta, cuius coniunctionis causa non tam in temporis rationibus quaerenda, quam potius in momenti, quod ea Apostolis recipienda commendaret, [*dogmatische und moral. Pointen* pag. 63.] similitudine. Quae accesserunt e genere historicae compositionis, ea memoriae evangelistarum inserviendi studio debentur, unde factum, ut quippe apostolica auctoritate destituta varie habeant. — Apostolorum in hac re consilium ita describit p. 48 sqq.: „*urkundl. Aufzeichnung einzelner vor der Willkühr einzelner Individuen sicher zu stellender Beweisstücke und Documente als feste und dauernde Grundlage der christlichen* [*an die Hauptmomente des Lebens Jesu zu knüpfenden*] *Dogmatik.*“ Est autem comparato accurate libello cum iis, quae alibi publici iuris fecit auctor, sententiae causa non admodum difficilis perspectu haec: ut saeculo certe decimo nono caveretur, ne apostoli suis carerent symbolis suaque theologia dogmatica.

monumentorum memoriae ope factae et propagatae compositionis extiterat alius Pauli, alius Petri typus; illum utpote fontibus suis ἀκριβῶς usus, ad assem expressit Lucas; utrumque Marcus utpote utriusque comes coniunxit.

Quibus uberius expositis placet rem omnem uno quasi obtutu comprehendere, ita quidem, ut EICHHORNII potissimum et GIESELERI, utriusque in suo genere principis, argumentationem summatim persequamur. I. Trium evangeliorum similitudo ita habet ut necessario flagitet, unde derivetur, scriptionem; iam a) quum de singulari quadam scriptione nil constet, statuendum est, id quod per se probabiliter contenditur, nostros a suis invicem commentariis pendere. Sed b) propter admixtam, quae ex eodem fonte originem traxisse debet, discrepantiam hoc stare nequit; fingenda igitur est singularis scriptio, cuius, ut probabile est, aramaicae indoles ita, ut nostrorum et consensioni et dissensioni derivandae prorsus sufficiat, exornanda et vestigia studiose anquirenda. II. At vero si res ita habet, facile patet, fontes scriptos non posse locum habere; restat igitur nonnisi fons ore propagatus. Iam constat primis temporibus viva voce, non scriptione fieri solitam esse institutionem christianam; ac ibi quidem probabile est adhibita esse eadem fere, quibus deinceps assuescerent, voca-

bula. Hinc variorum, qui ex eadem traditione hauriunt, scriptorum in universum explicari potest et consensus et dissensus; transferri igitur ad nostra quoque evangelia et potest et, quia sola restat, debet haec explicandi ratio.

CAPUT SECUNDUM.

CAUSARUM, UNDE IUDICIUM PENDET, EXPOSITIO.

Iam vero exposita rei facie progrediendum est ad id, quod secundum fecimus, accurate circumspicienda et exploranda, quotquot in usum vocantur, iudicii regendi causas ac praesidia, quibus diligenter collectis perpensisque eo tutius, id quod in omni quaerendi officio primarium est, certas, ad quas iudicium exigatur, constituamus firmeque teneamus leges. Quae iudicandi praesidia quum partim ex apostolorum aetatisque apostolicae ingenio, partim ex evangeliorum in antiquissima ecclesia historia, partim ex ipsa eorum indole et conformatione ducantur, de triplici hoc genere deinceps dicendum addendaque quarto loco de iudicio rite regendo et explorando epicrisis; missis iis, qui sive de infringenda hoc inquirendi officio scripturae sacrae auctoritate et quae ea nitatur

vera pietate nimis anxii 50), sive aliis de causis minus laudabilibus 51) omni quaerendi negotio acriter adversantur.

SECTIO PRIMA.

De iis, quae ducuntur ex apostolorum aetatisque apostolicae ingenio.

Qui de rerum christianarum originibus et quae primis potissimum temporibus expertae sunt, fatis, de librorum, quibus ipsae nituntur, cognoscenda ex illorum temporum aeque atque auctorum ipsorum rationibus et historiis indole, deque repetendis inde eos explicandi et iudicandi legibus praeceperunt, provocarunt ii uno fere ore ad insignem quandam et omnis illius aetatis, qua

50) At „nihil tutius est veritate, neque, quum verum vero contrarium esse existimari haud possit, religioni christianae timendum est, modo veritatem semper propugnare liceat, quod Deo favente in aliquo terrarum angulo semper licebit." Io. Clericus *de arte crit.* I, p. 20. Ac profecto de rebus nostris conclamatum esset, si, quibus unice nitimur iure nostro, libri nostri sacri tale haud sustinerent iudicium!

51) Eos dico, quorum largam progeniem tulit recentissima aetas, qui veram, quae vitae integritate paratur, gloriam putidam rati et pusillam, dum, quod sane facillimum est, cultu adeo religioso scripturae sacrae vel singulas litteras, τὸ γράμμα, palam prosequuntur, pietatem suam impudenti modestia iactando, aliorum contra studia probeque facta infestando calumniisque proscindendo, intimam, quam spirat, indolem, τὸ πνεῦμα, sicco transire pede nulli dubitant.

prima apparuerunt rei christianae incrementa totum terrarum orbem mox collustratura, et eorum potissimum, quorum ope condita est, Iesu Christi primorumque eius discipulorum simplicitatem, quamque haec ipsa flagitet, simplicissimam semper sequendam esse contenderunt sententiam. At eorum fere quilibet aliam sibi informavit eius notionem, quam secutus simplicissime versatus sibi videretur. Quae quum ita sint, multum profecto interest, inquirere in veras huius simplicitatis[52]) rationes, quamque habere possit et debeat vim in regendo de evangeliorum singulatim originibus iudicio.

I. Quos Christus sibi elegit discipulos, non solum imbuti erant, utpote natalibus et institutione Iudaei, iudaicis et sentiendi cogitandique formā et moribus omnibus, sed litterarum etiam rudes ac ne iudaice quidem docti, nec generis nobilitate munerumve dignitate in popularium numero insignes; at, quod satis loquitur ipsa historia, homines probi animoque candidi, ab

---

52) De vocis notione uberius exposuit KUICHLERUS in Commentat. *de simplicitate scriptorum sacrorum in commentariis de vita Iesu Christi* (Lps. 1821.) p. 9 sqq. Nos quidem ea tantum, quae primaria videntur eaque quatenus quaestionem nostram tangunt, breviter perstringemus. Rem ipsam egregie persecutus est NIEMEYERUS: *Characteristik der Bibel* (ed. V. Hal. 1794 sqq. V. Tomm.).

omni simulatione ac arte mala non solum, sed a docta etiam, quam vel inscius committas, rerum exornatione longe remotissimi [53]). Non potuit igitur, quam iis commisit institutio ea esse, in qua doctae subtilitatis auctoritatisque externae esset locus, quaeve nova prorsus atque inaudita absconditae sapientiae capita cum hominibus communicaret; imo ea, quae quemadmodum ipsa non eget doctis ambagibus, ita etiam non solum in homines, quales apostoli erant, simplices omnisque, quae aliunde accessit, doctrinae animique culturae expertes summam habet efficientiam, sed talium etiam ministerio facillime potest propagari.

II. Atque eam revera fuisse huius institutionis indolem et vim, ipsa docet e libris sacris cognoscenda Christi doctrina, confirmat historia [54]). Illa enim, quum utpote e genere mere interno in intima affectione percellenda, in commendanda potissimum animi morumque emendatione, in proponendis confirmandisque eius praesidiis versetur, eo maiorem habet vim, quo sincerior, quo simplicior et ab omni arte remotior est homo; quum nihil postuletur, nisi nativa

53) Ut uno verbo complectar, fuerunt ἀληθῶς Ἰσραηλῖται (Ioa. 1, 48).

54) Cf. PLANCKIUS: *Gesch. d. Chth. in d. Periode s. Einführung in die Welt* (Gott. 1818) vol. I, p. 14–21. 187 sqq.

animi mentisque vis, et integra ac proba hominis voluntas. Inde originem habet sincerus nostrorum in Christum amor, inde verae, quae non in externa qualicunque specie acquiescit, pietatis promovendaeque rei christ. ardentissimum studium, inde praesentissima, qua intrepidi tenuerunt, palam professi sunt, propagarunt probatam semel sententiam, fiducia, inde denique illa docendi *ἱκανότης*, qua se suis nunquam viribusassequi potuisse ullam scientiae sapientiaeque sublimitatem, bene quidem gnari, at divina quae per ipsos operaretur potentia freti [55]), tanto brevi tempore successu tot tamque varios indole, loco, gente homines ad sacra christ. traduxerunt; docebant enim, id quod in auditores quoque est efficacissimum, prout ferret animi impetus [56]), divino numinis afflatu, cuius et apud Hebraeos et apud exteros [57]) magnam fuisse vim constat.

---

55) „Πεποίθησιν τοιαύτην ἔχομεν διὰ τοῦ Χριστοῦ πρὸς τὸν θεὸν, οὐχ ὅτι ἱκανοί ἐσμεν ἀφ' ἑαυτῶν, λογίσασθαί τι, ὡς ἐξ ἑαυτῶν, ἀλλ' ἡ ἱκανότης ἡμῶν ἐκ τοῦ θεοῦ· ὃς καὶ ἱκάνωσεν ἡμᾶς διακόνους καινῆς διαθήκης, οὐ γράμματος, ἀλλὰ πνεύματος.“ 2 Cor. 3, 4 sqq.

56) Planckius l. c. II, 23 sq. „*Sie handelten jetzt weniger nach einem klaren Bewusstsein, als nach dem Drange eines eigenen Triebes, von dem sie sich beseelt fühlten.*“ coll. p. 336 sq.

57) „Nemo vir magnus sine aliquo afflatu divino unquam fuit.“ Cic. de nat. Deor. 2, 66. Sive, ut illo Ovidii (Fast. 6, 5.) utar: „Est Deus in nobis“ (Graeci

III. Quapropter in universum haec duo probe cavenda videntur, primum ne putidam eorum sequaris diligentiam, qui omnia, quae in nostris deprehenduntur, ad Iudaeorum, quale tum fuerit, ingenium, cuius cognitionem e fontibus haud raro petunt minus limpidis, (Iudaeorum dico serioris aetatis fabulas ac nugas), exigere student. Etenim nequaquam puros putos eosque in rebus iudaicis totos, sed Christi ipsius consuetudine rerumque christianarum, quibus deinceps vitam impenderent, egregia vi prorsus immutatos et singulari ratione conformatos habes, de quibus existimes, Iudaeos [58]). Deinde vero,

---

dixerunt ἐνθέους, ἐνθουσιαστάς) et quae sequuntur, quibus deinde addit: „impetus hic sacrae semina mentis habet." Quod quale apud Hebraeos fuerit, animadvertere licet in muneris potissimum prophetici indole et rationibus, de quibus vid. Winer *Realwörterbuch* p. 548 sqq.

58) At eos, obiicies, serius etiam ab opinionibus iudaicis nequaquam fuisse liberos; recte quidem: quemadmodum enim, quorum a pueritia verecundae admirationi adsueveris, eorum eo maior esse solet religio, quo minus ea ipse didiceris; ita etiam apostoli non poterant statim exuere pristinam doctrinae iudaicae existimationem, imprimis quum libris sacris iisdem, quos perscrutandos illa prae se ferebat, ipsi etiam uterentur initio ac fundamento institutionis christianae. At utpote qui illam sapientiam iudaicam minime essent edocti, non poterant eius rebus christianis accommodandae probabilem usum facere. Quem qui facere potuisset, Paulus Apostolus, noluit, ita ut adeo evangelii ad paganos transferendi existeret auctor, idque, ni fallimur, propterea, quod, ut qui ipse esset homo de schola et arcanae illius

ne magnam ubique artem [59]), certum cui prudenter demum excogitato etiam perficiendo prudentem quam maxime dederint operam, quaeras consilium [60]). Etenim si vel solum spectes no-

scientiae a magistris iudaicis tantopere frequentatae intimis recessibus nugisque imbutus, minori harum rerum religione teneretur. Itaque si quem fecit earum usum, pertinebat is ad formam, tradendas res christianas refutandosque adversarios. Omnino huius potissimum, qui in evangelio tradendo totus longeque meritissimus est, Apostoli ingenium nonnisi cautissime iudaicarum opinionum doctrinaeque rationibus licet metiri.

59) „Est enim ars in iis, qui novas res coniectura persequuntur, veteres observatione didicerunt. Carent autem arte ii, qui non ratione aut coniectura, observatis ac notatis signis, sed concitatione quadam animi aut soluto liberoque motu" aguntur, Cic. de Div. 1, 8.

60) Id ipsum in Domini etiam historia existimanda probe tenendum. Etenim nequaquam est hominum insignium, potissimum ubi res divinae aguntur, ut multum et operose satis meditati prodeant; ac caret etiam talis meditatio, anxia nimium et operosa, idonea vi, nec facile insignem nanciscetur successum. Imo interna animi vi, interno impetu agitati existunt subito, at eo efficacius, eoque facilius hunc animi impetum ac fervorem in aequalium etiam animos insinuant. Unde fit, ut tales iique de rebus humanis meritissimi viri debeant nasci, non data opera possint excoli et praeparari; inde etiam hoc est, quod maxima quaeque a minimis incrementis iisque a doctissimis rerumque peritissimis hominibus haud facile perspectis oriantur, quo clarius appareat ipsa, quae haec moderetur et ad exitum perducat, summi numinis efficientia, divinusque, qui animos agitet, afflatus. Aperto exemplo est Lutheri nostri sacrorumque emendatorum historia. Quod qua de causa non liceat transferre ad Christum? Imo iubet hoc egregia animi ingeniique, quam praestitit, vir-

strorum ingenium, erant nequaquam ii, qui callide versarentur anxieque circumspicerent, quae in hoc vel illo instituendo essent aptissima persuasionemque optime efficientia argumenta. At idem confirmat etiam historia, quae nostros rem non statim totam perspexisse, nec meditatos, imo paulatim et vel coactos ad condendam religionem novam accessisse, luculenter docet [61]). Omnino hisce similibus studiose indagandis et in rei christianae origines ac fata probabiliter transferendis in promtu est non admodum multum effici, quum incrementa eius satis exigua imbecillamque, quorum ministerio promota est, operam immensum superaverit omni auctoritate sapientiaque humana longe maior altiorque even-

---

tus, quodque expertus est, auxilium divinum praesentissimum. Adversatur igitur primariis mentis humanae legibus imprimisque ingenii, quod Orientalium est, commotioris fervori, nec non ipsi adeo historiae sententia, Dominum, quae obeunda, quae patranda, quae toleranda essent, omnia ac singula diuturna meditatione accurate expendisse, et eorum instar, qui publicas res moderantur, delegisse, quibus uteretur, rerum praesidia, ita ut vel operosis demum deliberationibus illud animi robur sibi paraverit, quo tandem instructus omnes potuerit superare difficultates aberrandique illecebras. At tunc profecto aliter versatus fuisset, nec vero ea tam simplici vereque divina ratione, quam loquitur historia sacra! Quae vero uberius persequi, non est huius loci.

61) Cf. quae de apostolorum, quale et primis post Domini abitum temporibus et serius fuerit, ingenio accommodate disputavit PLANCKIUS l. c. II, 22 sqq. 299 sqq. coll. infra not. 64.

tus. Caeterum facile patet, quemadmodum omnino in hominibus, qui interna animi vi impetuque aguntur, ita etiam in nostris iudicandis nequaquam licere, ut a priori, quod dicunt, definire velis, quomodo versari qualesve se gerere debuerint [62]). Quod qui feceris, sumis tibi, quod vires superat. Etenim quis tandem se dixerit apostolorum, consiliorum quae secuti sint, reliquarum, quae fuerint, rationum perspectos habere intimos recessus? Omnia vero in tali homine ad unam quandam subtiliter exigere formam, est docti quidem, at non satis cauti viri.

Quibus in universum expositis placet sigillatim in institutionis scriptionisque apostolicae rationes uberius inquirere. Ac illam quidem quod attinet, eius utpote non docta meditatione, sed, prout ferret libera animi concitatio, fieri solitae, et forma et ambitus simplicissime habebant; idque potissimum duabus de causis: primum quod idoneum habebant idque nulla probatione egens sacrorum veteris Test. librorum fundamentum, deinde quod ipsa quoque his doctrinam christ. superstruendi ratio tota fere in rerum gestarum enarratione versabatur.

---

62) Quam ecce erroris principalis, qui ipse multorum aliorum, quibus viri vel doctissimi prae reliquis rem nostram impediverunt, largus fuit fons, sedem pluribus persequemur Sect. III.

I. Quemadmodum Christus ipse hoc egit [63]), non ut novam prorsus conderet doctrinam, sed ut, quae institutione mosaica tamquam fundamento suo niteretur, proponeret emendatiorem in hominumque animos ac mores salutarius efficacem de Deo rebusque divinis sententiam, ita etiam apostolorum eo redibat doctrina, ut Iesum docerent vere esse, qui rata fecerit V. T. vaticinia, τὸν Χριστὸν, promissum expectatae summo desiderio felicitatis auctorem, adhortarenturque homines ad eam agendi rationem, quam solam esse illius consequendae conditionem, iam professi erant uno ore prophetae. Quam quidem ab ipso magistro acceptam sententiam eam esse, quae patriae religioni vel minus conveniret, vel eius adeo tollendae causa existere posset, ne levissima quidem ipsorum animos subiit cogitatio; imo maiore Iudaeorum et probitate et dignitate efficienda, traducendisque paganis auctum ornatumque iri eius ope res iudaicas confidebant [64]).

63) Ipse se minime venisse dicit καταλῦσαι, ἀλλὰ πληρῶσαι τὸν νόμον κτλ. Mt. 5, 17 sq. cf. Planckius l. c. I, p. 107 sqq., qui tamen ad solum Christi consilium prudentissimum, quo nulla alia ratione aditum doctrinae suae aperiri potuisse viderit, minus recte omnia revocasse videtur.

64) Id quod ex ipsorum historia et scriptis satis probavit idem Planckius II, p. 32. 39. 71. 111 sq. Serius demum, Iudaeorum pertinacia infestissimisque machinationibus coacti, ulterius sensim sensimque progressi sunt.

Iam quum propterea non solum in synagogis iudaicis tradenda, sed rebus etiam librisque Iudaeorum sacris antiquo more annectenda et superstruenda esset sententia christiana, primum de novae cuiusdam scriptionis auctoritate, quam in V. T. locum quasi substituerent, neque apostolos ipsos cogitare potuisse neque ulla ratione persuaderi sibi passuram fuisse legis patriae tenacissimam Iudaeorum religionem, facile patet. Docet igitur rei natura, nullam locum habere potuisse institutionem, nisi quae viva voce fieret [65]). Unde factum, ut, quam παραδιδόναι, κηρύττειν κτλ. dicuntur, doctrina christ. ipsa laeti nuncii, εὐαγγελίου [66]) nomine veniat. Deinde vero evan-

65) Egregie Herderus: *Vom Sohne Gottes* p. 306: „*Das Christenthum führte sich als eine hoffnungsreiche Auslegung alles dessen, was bisher geglaubt und erwartet worden war, ein, u. war demnach vollkommen blos mündliche Botschaft.*“ Unde apostoli ipsi adeo nescire videntur aliam cognoscendae rei christianae rationem, quam quae ἐξ ἀκοῆς fit. cf. Rom. 10, 14. πῶς δὲ πιστεύσουσιν, οὗ οὐκ ἤκουσαν; πῶς δὲ ἀκούσουσι χωρὶς κηρύσσοντος; et vs. 17. ἄρα ἡ πίστις ἐξ ἀκοῆς· coll. Gal. 3, 2. 5. al. In quo ipso haud exigua inerat vis. Etenim, ut Herderi (*Vom Erlöser der Menschen* p. 190.) verbis utar: „*ihre Predigt war ein Schall, eine Stimme, ein lebendiger Brief im Herzen, kein gemahlter Buchstabe.* Rom. 10, 8—18. 2 Cor. 3, 3.“— Caeterum recte monuit Planckius II, p. 279, sive illius temporis rationes, sive, qui primi edocendi erant, homines spectes, viva voce longe celerius faciliusque rei christ. propagationem fieri debuisse, quam scriptione.

66) Cf. Paulus p. 132 sqq. Gieselerus p. 75.

gelium hoc ipsum, cuius summa ac momentum eo rediret, ut, quemadmodum ipsi rerum Iesu Messiae gestarum maximam partem: *αὐτόπται* habebant persuasissimum, hominibus quoque de messiana Domini auctoritate persuaderent, totum erat e genere historico, ita quidem, ut ea quoque, quae et facienda et speranda [67]) essent, inde omnia derivarent, Christumque salutis interposita animum moresque emendandi conditione consequendae auctorem esse docerent. Quod utrumque et per se simplicissimum, et non apostolis solum, sed iis etiam, qui edocendi erant, accommodatissimum [68]).

---

67) Hinc recte HERDERUS: *vom Sohne Gottes* p. 309. his duobus comprehensam existimavit institutionem christ., primum *κηρύγματι*, rerum Domini gestarum, deinde *ἀποκαλύψει*, futurae, quae inde originem duceret hominum rerumque conditionis; sive, ut est apud PAULUM l. c. p. 138: „*hist. Erzählung und Auslegung dessen, was Iesus* [*rücksichtlich des Messiasreichs*] *gesagt und gethan, und das daraus gefolgerte Betragen, und der dadurch zu bewirkende Zustand*," et quidem, quod expositionis formam attinet: „*als lauter anschauliche, praktische Gegenstände mehr beschrieben und in ihrer natürlichen Nothwendigkeit dargestellt, als theoretisch deducirt und gelehrt.*"

68) Homines enim de plebe erant et ipsi apostoli et ii etiam, quibus primis tradendum erat evangelium; at hos constat non solum expositionibus historicis facillime commoveri, sed rebus etiam nonnisi historicis, minime vero mere dogmaticis philosophicisque intelligendis perspiciendisque idoneos esse. cf. PLANCKIUS II, p. 155. At hoc, quod apostolos attinet, non ita accipiendum, ac si praeviderint, facillime ita, id quod eventu comprobatum est, persuaderi homini-

II. At vero in huius sententiae expositione ac demonstratione eam summa libertate quisque secutus est rationem ac formam, quam utpote ingenio reliquisque rationibus accommodatissimam iuberet ipse animi impetus. Quod quamquam docte etiam fieri potuit, et si qui valeret, sine dubio factum est, id tamen minime necessarium, sed sufficiebat simplicissima eaque facillima probatio, quae historica ratione fiebat narranda Domini historia [69]). Ac ibi quidem eius in vitam reditu utpote luculentissimo, quo Deus eum Messiam esse demonstraverit, eoque in vulgus noto documento toti nitebantur; cui addebant quidem, quae plurima patraverit a Deo adiutus potenter facta, at neque singula sigillatim uberius sunt persecuti, neque certo huiusmodi miraculorum ordine ac ambitu usi, imo ita versati, ut de iis universe magis disputarent [70]).

---

bus, sed quoniam haec sola docendi forma eorum ingenio conveniret, aliam vero ipsi scirent nullam. Praeterquam enim, quod doctae expositioni erant impares, ipsorum etiam persuasio eadem ratione effecta erat ac stabilita, ita ut post longiorem adeo consuetudinem toti percellerentur Domini morte, eiusque demum in vitam reditu pristinam fiduciam reciperent.

69) Quam vero minime totam singulis expositionibus comprehensam, imo partim summatimque tradi solitam esse, docent, quae in libris ss. habentur, institutionis apostolicae exempla. cf. EICHHORNIUS: *Einl.* I, p. 429.

70) Aliter SARTORIUS l. c. p. 48: „*eine wunderreiche Sage*“ — „*neue und immer neue Wundergeschichten brach-*

Ulterius vero si progredi vellent, in usum vocabant alterum probationis genus, dogmaticum, ita quidem, ut iis potissimum innixi, quae prophetae de venturo, qui res iudaicas auctoritate divina instauraturus sit, Davidide, deque eius rationibus ac virtutibus, sigillatimque de emendando eius ope ac feliciori sorte beando populo docuerant numinis afflatu, operam darent rebus christianis e veteri Test. deducendis, illustrandis, commendandis; quod tamen non ad initia institutionis pertinuisse recte dixeris, sed uberiori potius inserviisse expositioni ideoque serius potissimum scriptione exornatum [71]).

---

te jeder wandernde Glaubensbote, und so wurde die Tradition bald unermesslich reichhaltig" etc. At non ita apostoli! Id quod luce clarius docent Acta (ut 1, 22 sqq. 10, 38 al.) et epp. paulinae. Sane quidem praeter apertissimum apostolorum fervorem summamque animi de rerum, quas tradebant, veritate persuasissimi in auditorum etiam animos vim, ultimo nequaquam loco ponenda est, quam rerum gestarum singularis prorsus ac mira et fere inaudita indoles habuit, efficacia (cf. PLANCKIUS II, p. 266); at ea minime nitebatur singulis narrationibus, sed earum summa, absoluta illa et ita ut dubitationi nullus amplius esset locus confirmata exhibito divinitus ἀναστάσεως splendidissimo testimonio. Uberius de hac re dicendum infra Cap. III, ubi accuratiori examini subiicietur evangelistarum, quem dicunt, typus.

71) Prima institutionis elementa fuisse mere historica, docent prima, quae apostoli posuerunt, tirocinia in Actis obvia. De uberiori eaque dogmatica historiae evangelicae probatione tunc demum cogitare poterant, quum doctrinam iam habe-

III. Omnino enim in traducendis ad sacra christiana hominibus ita versati sunt apostoli, ut accuratiorem institutionem eorumque, quae ea effecta sint, explorationem minime inirent, imo si qui messianam Iesu auctoritatem agnoscerent palamque profiterentur, admitterent eos baptismo initiandos [72]). At hoc nequaquam ita accipiendum, ac si primis temporibus omnino praetermiserint momentum ethicum [73]), imo hanc solam

---

rent magis subactam maioremque docendi peritiam. Quod quidem nostros ad scriptionem exponendasque de industria res christianas serius conversos, revera fecisse, et per se probabile est et docet librorum ss. contemplatio. Exempla habes in commentariis rerum Domini historicis Matthaeum, Lucam et Ioanem, contentione instituta Marci; in epistolis Paulum, collato Ioanne. Etenim, ut hoc utar, quis tandem existimaverit Ioannem in coetibus christ. iniisse uberiores de Christo λόγῳ disputationes? Imo hoc erat, quod semper repeteret: ἀγαπᾶτε ἀλλήλους! Ita enim eius ingenio convenientissime refert Hieronymus in *commentar. in ep. ad Galat. cp.* 6: „Ioannes quum Ephesi moraretur, — — et vix inter discipulorum manus ad ecclesiam deferretur, nec posset plura vocum verba contexere; nihil aliud per singulos proferre solebat coetus nisi hoc: filioli, diligite alter alterum!" Causam quaerentibus discipulis respondit: „quia praeceptum Domini est, et si solum fiat, sufficit."

72) „Non solide antea instituti, non erroribus, quos animo conceperant, purgati. Simplex fides requirebatur — — uberior institutio differebatur." Moshemius *de rebus christianorum ante Constant. M.* (Helmstad. 1753. 4.) p. 168. coll. Schmidtio: *Handb. d. christl. KGesch.* I, p. 94 sqq. et Planckio II, p. 30 sqq.

73) Id quod existimasse videtur Schmidtius l. c. p. 94 in. 95 extr.

saluus per Christum partae rèvera consequendae conditionem celebrabant studiosissimeque, praeeuntibus prophetis ipsoque Christo, commendabant, dignam videlicet, quae *μετανοίας* nomine in libris ss. venit, animi conformationem, morum quoque ac vitae emendationē conspicuam 74). Idque bene cohaeret. Etenim huius institutionis professionisque fructum 75), quem nequaquam abesse posse, imo sponte ac necessario sequi debere 76), habebant persuasissimum, futuro tempori

---

74) Quam summi numinis venerationem, quae sincera animi vitaeque pietate continetur, (*προσκύνησιν ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ* Ioa. 4, 24. coll. Iac. 1, 27.) apostolos primo loco posuisse, omnem contra, qui ritibus externis fit, et paganorum et Iudaeorum cultum reiecisse, praeter diserta librorum ss. loca inde etiam recte concluditur, quod institutionem mosaicam missam facere coacti, non tamen cogitarunt de novis ritibus aliisque eius generis constituendis. cf. PLANCKIUS II, p. 315 sqq. [quamquam hoc etiam in causa fuisse potuerit, quod Domini *παρουσίαν* non admodum remotam existimaverint].

75) Etenim non digniorem solum de rebus divinis sententiam, sed summum etiam erga Christum amorem compositamque divinae virtuti [ut est apud Mt. 5, 48: „*ἔσεσθε ὑμεῖς τέλειοι ὥςπερ ὁ πατὴρ ὑμῶν* κτλ.] ac Christi exemplo [„*τοῦτο φρονείσθω ἐν ὑμῖν ὃ καὶ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ*“ Phil. 2, 5.] convenienter animi vitaeque formam iterata rerum christ. contemplatione accuratiorique historiae evangelicae cognitione sponte effectum iri confidebant. cf. PLANCKIUS II, p. 152 sq. 155 sq. 311 sqq.

76) 2 Cor. 5, 17: *εἴ τις ἐν Χριστῷ, καινὴ κτίσις*· coll. Eph. 2, 4—10. 4, 22—24. Phil. 4, 8.

relinquere nulli dubitabant 77). At in uberiori institutione, quae qualis fuerit e scriptis apostolicis optime cognosci modo docuimus, hanc potissimum partem studiosius sunt persecuti 78), ita quidem ut ad Christi imprimis exemplum summumque quem exhibuerit amorem identidem provocarent, qui eundem sensum et possit et debeat efficere. Genus autem dogmaticum quod attinet, id primis temporibus nonnisi secundo loco inque ethici subsidium esse adhibitum 79), ex

77) Neque spes eos fefellit. Sane quidem negari nequit, accessisse primis statim temporibus haud paucas, quae homines rei christ. conciliarent, causas minus idoneas, easque, id quod non poterat aliter fieri, effecisse multorum christianorum indolem minus probam. Neque hoc temere montum est, πίστιν illam, cui omnis institutio superstruebatur, haud raro sensu mere historico (cui opinioni oppositam esse constat Iacobi epistolam) acceptam esse. At hac ipsa de causa, quod omnia minime ad meram γνῶσιν, imo ad πίστιν redibant, saluberrima in animum efficientia numquam prorsus caruit christiana institutio. cf. PLANCKIUS II, p. 322 sqq., singulatim p. 331 sq.

78) Consulto de hac re exponunt epistola Iacobi et ioannea prima; in reliquis N. T. libris, quocunque demum consilio scriptis, dispersa saltim habes eaque sat multa exempla. Caeterum cf. not. sq.

79) Eo consilio, ut sive maiorem vim adderent adhortationi (ut est Phil. 2, 5. sqq. 1 Cor. 8, 6. al.), sive firmiorem efficerent de messiana Iesu auctoritate persuasionem (ut fere est in orationibus a Luca Actibus apostolorum insertis, nec non apud reliquos, potissimum ubi V. T. loca in usum vocantur). Etenim hoc, quod secundo loco posuimus, efficacius fieri poterat probatione e V. T. petita, quam uberiore, quae singula Domini facta ac fata persequeretur, historiae

iisdem libris ss. perspicitur, nec desunt idonea indicia, quae ea etiam, quae de industria ab apostolis hactenus disputantur, magnam partem addita demum esse probent, postquam perversae ac inanes de his similibus invaluerunt et opiniones et contentiones 80).

Quae si recte disputata sunt, minime necessarium fuisse singulorum doctorum accuratum, qui vel minima quaeque spectaret, consensum, eam vero, quae necessaria erat, in primariis capitibus convenientiam, utpote quae universe magis pateret, facillime ac vel sponte effici potuisse, satis elucet; apostolos saltem, utcunque se res habet, idonea caruisse causa, cur talem tam anxie exigerent consensum, quippe qui summa

---

enarratione; quam potius fuisse eorum, qui de concinnandis rerum Christi commentariis cogitarent, haud temere existimaveris. At, quidquid est, hoc stat, miraculorum saltem, quae triumviris nostris communis est, summam eo, quo nunc habetur ambitu ac ordine minime repeti posse ex uberiori, quae viva voce facta sit, institutione.

80) Caeterum, quam modo descripsimus, institutionis formam eandem obtinuisse etiam in edocendis paganis, sive rei ipsius apostolorumque indolem, sive historiam consulas, facile perspicitur. Etenim idem erat ibi quoque idque historicum de messiana Iesu auctoritate doctrinae fundamentum, ita quidem, ut praeterquam quod apostoli ipsi de divina V. T. origine haberent persuasissimum, ne possent quidem eius auctoritate carere. Ac ibi quidem hoc potissimum vim habuit, quod provocarent ad tot et tam clara ab antiquissimis inde temporibus prolata de Christo vaticinia. cf. Gieselerus p. 74.

libertate ipsi versati detrimentum rei christ. inde existere posse, ne levissime quidem suspicarentur [81]). Non est igitur, cur fontes, unde institutionis formam ac argumentum nostri hauserint, multum circumspicias; non est, cur sigillatim certum statuas docendorum ambitum, quem operose satis confectum sequi ipsi possent, quemve, sive institutionis normam, sive publicum, quo doctoribus fidem facerent, documentum, promulgarent. Etenim res est in promtu. Formam suppeditabat animi impetus, argumentum res ipsa memoriaeque vis!

At vero quum res christianas scriptione etiam exposuerint apostoli, restat, ut hanc quoque uberius persequamur; qua in re ita versari placet, ut quae universam istam aetatem spectantia hic in censum veniunt paucis complexi, scriptionis apostolicae causas, fontes reliquasque rationes sigillatim exploremus.

I. Ac primum quidem, quod scriptionem, qualis tum fuit, attinet, in universum hoc tenen-

---

81) Tali cautione opus esse, serius demum ipsa experientia sunt edocti. Ac tum quidem, qui fieret, abusui non solum viva voce, sed scriptione etiam occurrerunt. Caeterum ne in ipsis quidem apostolis (quod tamen prae reliquis fieri potuisset, imo debuisset), nedum in iis, qui proxime secuti sunt, locum habuisse talem consensionem docet historia. cf. not. 13.

dum, aetatem istam scribendi nec cupidam nec valde peritam, omnino vel mediocri caruisse librorum copia ac facultate [82]); imo memoria, cuius hac ipsa de causa apud antiquos fere maior multo erat vis quam apud recentiores [83]), niti esse solitos tum temporis homines, ita ut scriptores quoque sua plerumque petere debuerint sive ex ipsius ingenii memoriaeque recessibus, sive e traditione ore propagata, rarius e commentariis aliisve monumentis scriptis. Ulterius progressi sunt Iudaei, ita quidem, ut etiam penes quos esset eruditionis patriae copia ac cura, non abstinerent solum a scriptione, sed eam adeo sperneret [84]); contra, cuius summa tenebantur reli-

82) Excipiendi fere soli homines de schola, quique nobiliori loco nati a litterarum ingeniique cultu non prorsus alieni essent. De plebe homines quod attinet, viva vox, qua potissimum et moveri et ipsi uti solent, apud antiquos, Graecos quoque ac Romanos, unicum fere erat discendi suaque cum aliis communicandi praesidium; etenim non solum ipsi scribendo non erant idonei sed librorum quoque scriptorum neque poterant facile sibi copiam facere, neque iis satis uti. Caeterum cf. Gieseler. p. 65.

83) Causam e Caesare (*de bello gall.* 6, 14.) Gieselerus p. 105. affert hanc: „fere plerisque accidit, ut praesidio litterarum diligentiam in perdiscendo ac memoriam remittant." Caeterum memoriae vi orientales potissimum excelluisse perhibentur.

84) Docent hoc diserta seriorum Iudaeorum, ut Iosephi, testimonia. cf. Gieseler. p. 60. Id etiam, quod, quae post collectos V. T. libros scripta sunt, nonnisi Iudaeorum alex-

gione, traditionem sacram [85]) litteris mandari vetitam continuo ordine ore propagabant.

---

andrinorum interventu graece conversa supersint, inde repetendum. Exterorum autem eruditionem ut prorsus respuerent, effecit gentis superbia et quod post calamitosa exilii dominationisque syriacae tempora accessit, rerum exterarum commune odium.

85) Hebraeorum enim eruditio ac doctrina omnis, utpote quae ab antiquissimis inde temporibus penes sacerdotes ac prophetas esset, tota cum institutione gentis sacra coaluerat. Unde factum, ut scriptis, quae hanc continerent, monumentis divina auctoritate sancitis tamquam omnis verae sapientiae fontibus religiose adhaererent, in eorumque perscrutatione omnem eruditionem veram inesse existimarent. Inde extiterunt sacrae istae δευτερώσεις sive παραδόσεις legis mosaicae uberiorem, quam nonnisi ore propagari licebat, expositionem continentes, quas tantopere celebravit suspexitque Iudaeorum superstitio. Quas quidem παραδόσεις quamvis memoriae sustentandae causa scriptione summatim comprehendendas sibi feliciorisque ingenii discipulis indulgerent doctores iudaici, religiose tamen plebi occultabantur tales scriptiones, quo facilius a legum peritis regeretur. cf. Gieseler. l. c. Eichhorn. *Introd.* vol. I, (ed. II.) p. 4. not. Iam ex harum quidem δευτερώσεων genere fuit quoque doctrina christiana, quippe et ipsa uberiorem V. T. expositionem continens. At haec utriusque παραδόσεως comparatio admodum caute instituenda, saltim ad scriptiones apostolicas cum istis doctorum iudaicorum scriptionibus componendas minime transferenda. Etenim si a scriptione abstinuerunt apostoli, id nequaquam mala arte factum, sed quia minus necessarium videretur; contra, si quae litteris mandarent, ea reliquis christianis minime occultata. Quod vero Zieglerus apud Gablerum l. c. p. 431. existimavit, a scriptione abstinendum fuisse, ne apostolis eorumque institutioni vis („*Reiz der Neuheit und des Unerwarteten*") et auctoritas („*Gewicht und Interesse ihrer Person als lebender Orakel*") detraheretur, id non solum apostolis indignum, sed, quum omni studio elaborandum esset, ut

Apostolorum denique ratione habita, primum quidem hoc stat, eos in universum vel nullum omnino vel exiguum certe scribendi usum habuisse. Nec minus hoc, eos vivam vocem scriptioni adeo praeferre debuisse, elucet e supra disputatis. Accedit adeo, et vitae sustentandae cura et subeundorum rei christ. causa laborum vicissitudinibus eos a scriptione esse prohibitos. At ne hac ipsa rerum conditione, quum tamen ad scribendum animum appulerint, deceptus de libris ipsis eorumque indole perperam existimes, haec velim attendas, partim serius demum accessisse scriptionem, partim, qui eam tentarent, fuisse prae reliquis rei idoneos. Etsi igitur pingendarum litterarum scriptionisque ab initio minus fuerint periti, potuerunt tamen probabilem utriusque facultatem paulatim sibi comparasse. Dictionis certe idoneus isque aucta in dies docendi peritia effectus usus minime poterat abesse, ita, ut dictare [86]) saltem sua potuissent. Comparatis autem accuratius cum ipsis, quae supersunt, scriptis auctorum indole et rationibus aliun-

---

quam plurimis innotesceret doctrina evangelica, adeo absonum.

86) Id quod more apud antiquos receptum, servorum plerumque ministerio fieri solebat. cf. Hugius: I, p. 94. Quod nostros attinet, Paulum certe ita versatum, ex ipsis eius epistolis constat.

de cognitis, idonea deprehenditur eaque authentiam egregie confirmans convenientia 87).

II. Quibus ita praemissis age rem ipsam aggrediamur. Ac primum quidem, quamquam scriptioni apostolicae ab initio certe nec necessariae nec satis commodae plurima obstarent, non potuit tamen, doctrina evangelica latius iam propagata, aliter fieri, quin accederent idoneae, quae eam quoque addendam suaderent, causae. Sive

87) Etenim exceptis, qui brevissimas epistolas reliquerunt, difficiliorem scriptionem aggressi sunt Matthaeus, Ioannes, Lucas, Paulus. Ac Lucam quidem idoneum res gestas enarrandi litterisque mandandi usum habuisse satis docet uterque commentarius; qua in re animadvertere licet, eum quo liberius versari posset, eo melius habere. Huc pertinent, praeter Acta, ea quae in Evangelio (ut cpp. 1. 2. 9, 51 — 18, 14. al.) propria habet; contra minus praestant, ubi (ut in rebus mere historicis, quibus non interfuit ipse) aliunde pendet. Unde ingenii quandam vim aliis inhaerere nesciam ei fuisse, haud temere colligitur. Matthaeus vero utpote antea τελώνης ipsorum apostolorum sine dubio erat scripturae peritissimus, ita ut, si qui alius, res Iesu Christi gestas perscribendas sibi sumere posset. Praeterea eius evangelium ipsum idoneam veteris Test. facultatem prodit. Quod Ioannem attinet, is quippe diu satis in Asia versatus, ut linguae graecae, ita etiam scripturae maiorem copiam poterat sibi comparare. Caeterum Evangelii eius certe ea est indoles, quae dictando facillime efficitur, ampla videlicet ac verbosa nec a crebra repetitione aliena. Paulus denique (de quo vide WINERUM: *Realwörterbuch* p. 514.) iudaice quidem doctus, nec non in graecis satis versatus, at, ut videtur, graece scribendi minus peritus cf. not. 86. Gal. 6, 11. et interpretes ad h. l.

enim singulis quibusdam christianis, potissimum quibus utpote extra Palaestinam viventibus rerum Domini cognoscendarum rarior esset copia, gratificanda erat uberior earum expositio, sive ne detrimenti quid caperet res christiana, si coram non possent, scriptis cavendum. Quorum hoc epistolis [88]) plerumque confectum, illud contra nostris ipsis commentariis historicis perscribendis occasionem dedit.

Huius autem scriptionis ipsius, evangeliorum praesertim ratione habita, in universum haec est indoles, ut, quam supra descripsimus, nostrorum sentiendi dicendique formam sincere ingenueque exprimat. Unde hoc est, ut quamquam minime, quae universe paterent, sectati sint, sed non scripserint nisi ut flagitantibus temporum necessitati aequaliumve desideriis satisfacerent [89]), tamen

88) Poterant quidem uberiori etiam genuinae doctrinae expositione; at id, difficilius quidem, at minus accommodatum in hominibus auctoritati sequendae potius quam instituendae rerum explorationi assuetis ac idoneis. — Caeterum epistolae pro varia rerum conditione satis variae et in universum et quia necessitas ipsa argumentum suppeditat minus difficiles, nunc quidem non admodum in censum veniunt.

89) Uberius persecutus est KRUMMACHERUS: *über Geist und Form der evangel. Geschichte* (Lps. 1805) p. 36 sqq. Aliter profecto res se haberet, si de canonicis, quos ecclesia catholica serius appellavit, libris per tot saecula, terras gentesque auctoritate divina valituris cogitare potuissent. At haec est librorum sacrorum ratio, ut, nisi arma aliave, quae religione divinitus tradita indigna sunt, praesidia in usum

prout libera animi concitatio ferret, versati deprehendantur, neque certum scribendi finem ac normam neque hominum, quibus scriberent, necessitates anxie callideque meditati [90]). Quam vero diversam at sibi constantem consilii narrationisque formam singulorum, ut Ioannis, ut Lucae, scripta prae se ferunt, ea unice repetenda est ex intima, quam ne possent quidem occultare, animi conformatione [91]). Unde singularem, quem artis usu studioque nunquam potuissent, traxerunt colorem, qui nunc etiam tantopere delectat tantamque habet vim.

---

vocentur, sensim demum sua sibi auctoritatem comparare ipsi debeant indole!

90) Rem diligenter expositam vide apud KRUMMACHERUM l. c. Causam historiae evangelicae perscribendae dicit hanc p. 37: *„nicht eine feste Regel und Studium, sondern blos inneres subjectives Bedürfniss und stillschweigende oder laute Aufforderungen von aussen;“* qua vero in scribendo versati sint, rationem ita describit p. 58: *„nicht kalte genau überlegte Berücksichtigung des jedesm. Bedürfnisses, des Glaubens u. d. Vorurtheile der Leser und sorgfältige Bequemung nach denselben — — vielmehr ein richtiges Gefühl des Schicklichen u. eine lebendige mehr gefühlte als gedachte Vergegenwärtigung ihres Zweckes und ihrer Leser.“* Evangeliorum denique inde ortam indolem his verbis complectitur p. 39: *einfache und durchaus kunstlose Erzeugnisse ihrer damaligen individuellen Gemüthsstimmung.“*

91) KRUMMACHERUS p. 38: *„der verschiedene Character der Evangelien ist theils der Individualität der Verfasser, theils einer von ihnen selbst unabhängigen Einwirkung ihres Zeitalters und ihrer Umgebungen, theils der in ihnen vorherrschenden sie erfüllenden Idee oder Empfindung, aber keiner praemeditirten Accommodation zuzuschreiben.“*

III. Quamquam igitur nostri non egerunt in consignanda Christi historia, qui nobis dici solent, historicos, hoc tamen minime dubium, eos consilio vere historico [92]) scripsisse, eo

92) Nihili est SARTORII (l. c. p. 47 sqq.) de consilio mere didactico, dogmatico partim, partim ethico, coniectura. Quod enim vult (cf. supra not. 49.) contineri evangeliis nostris nonnisi singula historiae Domini fragmenta, ideo delecta, ut tamquam gravissima documenta passim addi possent, cui in credendorum faciendorumque expositione, minime vero in rerum gestarum narratione de industria versandum fuerit, institutioni apostolicae; id non solum nimis artificiosum minimeque necessarium, sed ne accommodatum quidem [saltem si tale quid necessarium fuisset, non fragmenta sed summa quaedam erat concinnanda], uno verbo, apostolorum aetatisque apostol. ingenio prorsus contrarium. Etenim ne hoc urgeamus, quod illa momenta [*Pointen*] Sartoriana, quibus hoc ipsum scriptionis Sartorianae, ut cum auctore loquar, momentum nititur, satis sunt obscura, contorta, et nescio quid praeterea: ut hoc etiam praetermittamus, quod talium fragmentorum exiguus satis numerus suffecisset, is vero, quem evangelia nostra exhibent, ambitus utpote et nimius et minus compositus docendi negotium impedivisset potius quam iuvisset; ipsa tale quid in nostris evv. quaerendi causa, Lucae potissimum prologo superstructa, est temeraria. Quod ne temere dixisse videamur, hanc habeto ipsissimam viri conclusionem: Satis amplus ac immensus fere fuit primis statim temporibus traditionis ore propagatae ambitus. [Quod tamen demonstrandum. Unde enim, quum res historicas nonnisi passim additas existimet S., larga ista narrationum copia? At esto, ut ita fuerit; quid inde?] Non igitur fuit cur scriptione enarraretur hominibus Domini historia. [En mirum hominem! Ac si novis tantum iisque adhuc incognitis lectorum animos oblectare voluerint nostri, sive hoc egerint, ut ubertate superarent ipsam traditionem! Quam quis tandem existimaverit singulos homines totam ce-

videlicet, ut certiores facerent lectores de rebus vere gestis. Cui consilio quamvis non ab omni parte satisfecisse tibi videantur, non licet tamen in ferenda de eorum commentariis sententia omnia ad expositionis historicae, qualis tibi obversatur, formam exigere, quum aliae in universum rationes, aliae scribendi causae, alia denique ipsis fuerint scriptionis praesidia.

Ac primum quidem, ut a fontibus ordiamur, eo nomine appellanda est, quae varias rerum Christi narrationes complecteretur, traditio. Etenim quum neque apostoli, neque, qui hic in censum venire possent, alii Christo semper adfuerint comites, uberior rerum eius historia non poterat existere nisi iunctis eorum, qui va-

---

nitam habuisse? Quidni igitur fuerit operae pretium, eam rite delectam compositamque, quo facilior pateret hominibus conspectus, scriptione complecti?] Nec Lucas hoc voluit; erant enim (1, 1.) πεπληροφορημένα, in vulgus nota; [Utrum etiam Theophilo? Lucas certe minus temere addit: ἐν ἡμῖν.] imo scripsit, ut iis, quae Theophilo iam cognita erant, ἀσφάλειαν (1, 4.) adderet. [Quod si quid aliud est argutari! Ac si verba rerum Theophilo hucusque nondum cognitarum narrationem excludant! Nimirum accurate cognita habuit Lucas singula quaeque, quae rerum Christi Theophilo innotuerunt; et anxie nimirum praecavit, ne quid Th. suo ignoti tangeret. At ecce idoneum habes, quod interpretes hucusque fugit, idque facetum satis momentum.] At plura addere piget. Hominem satis refutatum habes apud Bengelium: *Archiv für die Theologie* tom. VI, fasc. I. (Tub. 1823.) p. 211 sqq.

riis temporibus adfuerant, studiis. Id quod revera factum; at minime consulto singularive quodam studio [93]; imo repetenda saepius et aliis et sibi invicem post Domini abitum eius historia. Quae quidem traditio, ab αὐτόπταις primitus profecta sensimque ore propagata, ita tamen habebat, ut ipsi etiam apostoli vicissim inde non possent non pendere [94]. Iam quidem hoc nemo

93) Id quod dupliciter fieri potuisset. Sive enim, uno loco convenire et, quorum singuli αὐτόπται fuerant, secum communicare debuissent, ita quidem, ut quae quisque nova audiret, accurate memoriae mandaret. At hoc minime necessarium, quum primaria historiae capita satis haberent perspecta. Sive, quodcunque narraretur, potuissent quaerere de primo narrationis auctore. At hoc sane putidum. Utrumque apostolis eorumque ingenio minime accommodatum.

94) Quum enim alia quidem se coram gesta ipsi recordarentur apostoli, alia vero nonnisi ab aliis accepissent relata, est sane, quod inter duplex hoc narrationum genus distinguas. At apostoli non distinxerunt, nec minorem tribuerunt iis auctoritatem, quibus non ipsi quidem, at alii interfuerant. Imo quae relata accepissent ea suis addere et vel ipsi aliis narrando repetere solebant. Etenim modo ne accederent contrariae eaeque absonae narrationes, minime poterat de talis traditionis veritate in ipsorum animo suboriri dubitatio. Iam quamquam eos certe quippe rerum Domini in universum satis gnaros cautius in hac re versatos recte dixeris, non poterat tamen aliter fieri, quin ea etiam quae ab αὐτόπταις primitus profecta essent, crebra repetitione varie immutarentur et immutata propagarentur. Minime enim est eorum, quae tradendo et viva voce deinceps propagantur, ut in singulis quibusvis de auctore eiusque fide quaeras. Ac longius profecto foret, et a nostris certe, qui quemadmodum a fraude ipsi alieni nec fraudem ubique suspicabantur, alienum, in iis quae quartum quintumve narrarentur, ad primum fontem redire;

facile negabit, hanc ipsam historiae e traditione hauriendae rationem adiuvando nostrorum scribendi negotio ex parte haud parum inserviisse, quum, quod minus adhuc potuissent, rerum certe notitia et partim etiam forma minime longe esset repetenda. At ex altera parte, quum quae passim narrata acciperent, deligenda [95]) et probabiliter concinnanda [96]) essent, extitit idonea etiam difficultatis causa.

---

ne hoc urgeam, id haud raro ne fieri quidem potuisse. Qui igitur apostolorum inde extitit historiae Domini ambitus, magnam non solum argumenti, sed formae etiam partem, ipsis vel insciis, et traditione traxerit necesse est. Ac is quidem, quum in narrandi negotio non singula sigillatim persequenda, neque omnia, ut supra docuimus, necessario essent complectenda, sane sufficiebat. Quodsi vero scriptionem aggrederentur, non poterant quidem non attentius singulis inhaerere, ac ibi etiam minime erat, cur a traditione, quae ipsis reliquisque apostolis quasi inspectantibus extiterat, recederent, et, quod apostolis non amplius uno loco congregatis vix ac ne vix quidem fieri poterat, in principales fontes inquirerent.

95) Quem delectum a nostris non prorsus alienum esse, inde patet, quod sane deprehenduntur interdum praetermisisse, quae ipsos minime latere poterant. Quod tamen qui a certo consilio, cui convenienter singulas narrationes accurate exegerint, semper velit repetere, eum egregie falli dixerim. Quidni enim casu etiam factum esse possit? At, utut est, perperam profecto facis, qui de rerum, quae a mero arbitrio pendent, causis velis decernere. Caeterum quum minime angustius suisque finibus severe circumscriptum consilium sequi potuerint, non potuit facile locum habere narratio, quae prorsus aliena esset. Nec fere ex eo genere esse solent.

96) Idque profecto difficillimum, non viris solum apostolicis,

Cui vero difficultati ex omni parte feliciter removendae eo minus pares erant nostri, quo magis, id quod secundo loco in censum venit, consilii prudenter ponderandi firmeque tenendi facultate carerent, idque non propterea solum, quod subtilioris scientiae essent expertes, sed quod ipsum etiam sententiae christ. argumentum, si vel singula spectes, non haberent satis subactum[97]). Nec minus hoc etiam, quod ultimum

---

sed pariter etiam apostolis. Primum enim nemo erat, qui, perpetuus Christi comes, idoneum haberet, qui singula quaeque complecteretur, vitae eius conspectum. Traditionis autem ea est indoles, ut rebus ipsis propagandis contenta, earum ordinem, nexum et quae reliqua sunt, fere negligat. Deinde eorum etiam, quibus ipsi interfuerant, non poterat non memoria iterum excidisse pars, ea potissimum, quae singulis verbis aliisve minoris momenti accessionibus continetur. Nec minus rem implicabat hoc, quod non diverso solum tempore, sed diversis etiam locis singula gesta sunt, idque eo magis, quod carebant omnibus, quibus in definiendis locorum situ aliisve rationibus uti possent, praesidiis. Quod denique genus didacticum singulatim attinet, nova erat difficultas in eo, quod non de industria sed occasione aliunde ipsi suppeditata usus verba facere solebat Christus.

97) Partim enim, id quod ad ipsorum γνώσιν pertinet, eos sensim demum ac difficulter varii generis opiniones deposuisse animadvertere licet; partim, id quod magis spectat animi conformationem, πίστιν, totos occupatos tenebat rei novitas atque in animos efficacissima indoles, ita ut hunc impetum sequi quidem, at non caute moderari possent. „*Zu neu, um von ihnen in vollendeter Gestalt und mit Besonnenheit aufgefasst zu werden.*“ Krummacherus p. 42. Caeterum hoc ipsum est, quod Kr. (p. 39.) mixtam e genere historico atque epico indolem evangeliis tribuit,

addimus, oberat, quod utpote commotioris, quae est Orientalium indoles, animi at minime doctae eruditionis homines nullum scirent narrationis genus praeter id, quod subiectivum [98]) appellari consuevit, conspicuum id in eo, ut quam tibi de rebus sententiam informaveris, eam scribendo etiam ingenue exprimas, de aliter sentientibus minime anxius.

Quae quum ita sint, haec potissimum cavenda erunt, primum ne ad scribendi consilium, quod aliunde sumseris, scriptionem ipsam severe exigas [99]), nec vicissim ex scriptionis indole consilii

---

quorum hoc ad narrationis formam spectat, eam scilicet, quod scriptores sacri divino afflatu vel abrepti scripserunt.

98) Ac ita quidem dicitur, quoniam a rei narrandae indole, non qualis est per se spectata, sed qualis narratori esse videtur, proficiscitur, ideoque a narratore potius quam a re narranda pendet. Obiectivum contra, quod dicunt, in eo inest, ut tui tuaeque sententiae quasi oblitus, rem ipsam, qualis gesta est, identidem explores et, qualem exploratione cognoveris, enarres. Illud esse solet eorum, qui attendendis rerum causis minus idonei ipsam rerum gestarum enarrationem, quod est historici, seiungere nesciunt ab earum aestimatione. Quod quum in commotioris potissimum animi homines cadat, peculiare prae reliquis est Orientalium ingenio ideoque sigillatim scriptoribus etiam hebraicis commune. — Caeterum quamquam hoc in universum illi praestat, illud tamen ipsum non solum maiorem in animos vim habere solet, sed etiam, modo idoneus sit et a fraude alienus narrator, minime spernendum.

99) Quo pertinet, ut exemplum ponam, Hugius de evangelio ioanneo ita (II, p. 185) disputans: „*es herrscht in der Anordnung des Buchs und in der Auswahl der Begeben-*

rationes subtiliter extorqueas [100]); deinde vero, ne nimium in hac re tribuas apostolicae auctoritati [101]); denique ne scriptores nostros, quoscunque demum fontes statuas, totos inde pendere existimes [102]).

---

heiten zu einem Zweeke bis ins einzelne und kleine sehr viele Ueberlegung und ein durchdachter Grundriss," quod pugnare dixerim cum uberiori ac fere verbosa at ex intimis animi sensibus magis quam ex diuturna meditatione profecta rerum expositione.

100) Ita nostri interdum deprehenduntur res gestas ita disposuisse, ut alios dies uberius persequantur, de aliis vero nonnisi universe ac paucissimis agant. cf. PAULUS p. 104. 170. At hoc non propterea, quod singulares quasdam sive scriptas sive ore propagatas διηγήσεις minus scite suis intexerint; sed repetendum est inde, quod in contexendi concinnandique singula negotio minus essent versati. Huc etiam pertinent, qui inde, quod narratio saepe est abruptior, colligunt, fuisse nostris nonnisi hoc propositum, ut singula quaedam fragmenta, vitae Iesu memorabilia, ἀπομνημονεύματα dicunt, memoriae mandarent. Quod et ipsum non certo consilio, sed nostrorum imperitiae tribuendum. Appellatio autem illa Iustino M. frequentatissima atque e comparatione memorabilium Socratis orta [cf. OLSHAUSEN. l. c. p. 290, qui tamen subtilius quam verius numerum evangeliorum quaternarium cum quatuor opusculi Xenophontei libris comparasse videtur] minime urgenda. — Omnino enim, ut de ordine narrationis evangelicae chronologico paucis moneamus, non ii erant nostri qui singulari quodam studio ac successu dispositionem chronologicam sectari possent. Sed ut sponte se offerebat, tenuerunt, ita ut haud raro eam etiam relinquerent, sive cum alia quadam, quae magis placeret, coniungerent. cf. de Matthaeo not. 21.

101) De qua re ad Lucae prologum uberius disputabitur.

102) Quemadmodum omnino nollent γράμματος, imo potius πνεύματος διάκονοι esse, ita hac etiam in re libere sunt

IV. Quibus ita disputatis restat denique ut duplicem, quae universe magis scriptionem apostolicam tangit, quaestionem paucis absolvamus. Ac primum quidem, quod sermonem attinet, quo scribere et potuerint et debuerint nostri, probe cavendum, ne ad aramaica, unde, quae graece supersunt, translata sint, provoces. Etenim hoc non solum minime necessarium, sed ne consentaneum quidem est existimare.

Primum enim quod existimant, homines Iudaeos eosque in ipsa Iudaea eiusdem gentis hominibus scribentes, sive eorum spectes peritiam sive scribendi consilium, non potuisse uti nisi sermone patrio, minime verum est [103]). Namque non hoc solum nunc quidem demonstratum est, linguam graecam Iudaeis etiam Palaestinensibus tempore Christi fuisse ipsorum Graecorum commercio satis familiarem [104]); sed accedit etiam,

versati; exemplo esse potest Lucas, qui Pauli ad sacra christ. conversionem ter vario modo ita narrat, ut sibi fere contradicere videatur. Act. 9, 7. 22, 9. 26, 14. — De qua re uberius infra.

103) Rem uberiori disquisitione confecit Hugius II, p. 29 sqq., potissimum p. 50 sq.

104) Idque tale, ut homines etiam de plebe et graece loquentes intelligere, possent, et ipsi graece loqui. Insigne exemplum ex Act. 21, 40. 22, 2. attulit Hugius l. c. p. 45. ubi Iudaei, quum Paulum causam dicentem audirent ἑβραΐδι διαλέκτῳ uti, μᾶλλον παρέσχον ἡσυχίαν, quam antea, quum

partim scriptis rerum Christi commentariis prius eguisse exteros, quam Palaestinenses viva voce magis adiutos, partim scriptionem graecam, utpote cuius intelligentia ubique fere (latins saltim, quam aramaicae) pateret, fuisse accommodatissimam.

Quo autem altero nituntur, sermonis evangeliorum nostrorum graeci hebraismis, quos dicunt, distincta indoles hoc neque flagitat, neque probabiliter adiuvat, quum nequaquam meras ea esse ex alio sermone translationes ex omni eorum et colore et ingenio non sit difficile perspectu. At vitia, quae, ex falsa aramaicorum interpretatione derivanda, sibi invenisse visi sunt haud pauci [105]), quemadm. per se minus probabile est adesse, non probari potulerunt idoneis exemplis. Quae ex hoc genere attulerunt, vel hebraismi sunt, quos in scribendo etiam non vitare potuisse nostros utpote aramaico vel certe graece et aramaice mixto cogitandi praesi-

---

P. χειρὶ significaret, se verba facturum esse. Sine dubio, quod graece dicturum exspectaverant.

105) Largam exemplorum messem reperire licet apud Boltenium et Eichhornium; delectum fecit, qui ad ipsas etiam N. T. epistolas hanc sententiam transtulit, Bertholdtus III, pag. 1176—86; examen instituerunt Paulus pag. 30—34. Hugius II, 49 sq. 71 sqq. 86 sqq. Sartorius p. 29 sqq. — Novissimus iis indagandis operam dedit Kaiserus in commentatione supra (not. 38) allata, haud tamen, opinor, feliciori successu.

dio [106]) usos, facile patet, vel adeo merae coniecturae, eaeque, si non prorsus falsae, temerariae certe et minus aptae [107]), multo facilius et propter omnem orationis conformationem rectius e liberiore versandi ratione explicandae.

Altera, quam diximus, quaestio est de ipso libros in chartas coniiciendi edendique negotio. Ac ibi quidem quum nil certi definiri possit, probe profecto videndum est, ne quae in illius temporis homines Graecos ac Romanos cadunt, male seduli omnia ad nostros etiam homi-

106) Quod non sic intelligendum, ac si aramaice cogitata in linguam graecam demum transtulerint, sed ipsa graeca cogitandi forma non poterat non colorem aramaicum traxisse.

107) Etenim ut rem paucis praecidamus, (brevem exemplorum delectum exhibendi infra erit occasio), partim in hac re ita versati sunt viri docti, ut, quo opinionem suam defenderent, usum loquendi, qui variarum e genere semitico dialectorum peculiaris est, mire confunderent, partim vero plana satis vocabula cum rarissimis commutata ita contenderent, ut vel absona existeret graecorum sententia. Utrumque perperam. Omnino neque tanta fuit in nostris, eo potissimum tempore, quo scripserunt, linguae alterutrius inscitia, notionesque conceptas eloquendi et conscribendi imperitia, nec tam anxii totique a fontibus scriptis pependerunt, ut qui in his facile potuerint labi. Quid quod caeteroquin idoneum habent linguae usum, satisque libere versantur? Ut dicam, quod res est, absonum videtur Matthaeum, Lucam in integris quae propria habent locis tam bene versatos in paucissimis istis iisque facillimis quae cum aliis habent communia, tam turpiter lapsos esse.

nes Iudaeos transferamus [107]); abstinendum certe ab omnibus, quae inde ducuntur, coniecturis.

107) Pertinet huc uberrima Hugii (I, p. 93 sqq.) disputatio, de ratione, qua libri illo tempore soliti sint litteris mandari, edi, saepius describi [ita quidem, ut quae ταχύγραφοι dictata calamo exceperant, in ordinem redigerent καλλίγραφοι sive βιβλιόγραφοι, quibus in libris historicis absolvendis accederet adeo tertius, corrector; ederentur vero sive publica privatave recitatione, sive eius, cui inscripti essent, studio]; quam deinde (II, p. 117 sqq.) nimia arte ad nostram rem applicuit, ita, ut aliorum N. T. librorum statueret edendi causa factam in coetibus christianis recitationem, illi Romanorum recitationi similem, alios vero, ut Lucae, cum eorundem strenis comparandos existimaret. Exempli loco sunto haec: absolutum versus anni p. Chr. 68. finem Matthaei evangelium ineunte anno 69. restituto maris commercio novitatis (ut cum librariis nostris loquar) causa missum est Romam, ibique facta coram christt. coetu recitatione probatum et a Marco, cuius evangelium eodem anno exeunte editum est, in usum vocatum. Hugius l. c. Tale quid vix praestituros existimaverim librarios nostros! — Paulum quidem in epistolis ad coetus christianos dandis usum constat scribarum ope, at id nonnisi propter temporis angustias maioremve sociorum scribendi peritiam factum videtur. In evangeliorum auctores talia vix ac ne vix quidem cadunt.

THESES.

I. Librorum sacrorum ingenio toti perspiciendo non sufficit interpretatio historicogrammatica.

II. Paulus Apostolus ut religionis christ. ad paganos transferendae causa existeret, effecit ipsa eius eruditio iudaica.

III. Acuta est SARTORII de rationalismo catholicismi veteri commento coniectura.

IV. Sentiendi facultate ita sumus praediti, ut eius vim magis magisque coerceamus potius, quam exerceamus.

V. Neque post mortem beati ab omni parte beati praedicandi sunt.

VI. Controversia de optimismo ita tollitur, ut mundum optimum non esse, sed fieri posse censeas.

VII. Rerum existimatio extra fines historiae est posita.

VIII. Nulla rerum commutatio insignior nisi per singulos.

IX. Mediocritatis praecepto nihil unquam magni gestum.

X. Animi commotiones utiliores fuerunt quam animus sedatus.

XI. Exitiosior fuit rebus humanis neglectio boni quam effectio mali.

XII. Satius est nimium quam parum.

Gaylord
PAMPHLET BINDER
Syracuse, N. Y.
Stockton, Calif.

BS2569.8 .T37
De trium Evangeliorum necessitudine
Princeton Theological Seminary–Speer Library
1 1012 00063 3653